

WALTER BURLEY

*TRACTATUS SUPER LIBRUM PREDICAMENTORUM*

Walter Burley: Tractatus super librum Predicamentorum .....	1
<Prologus> .....	2
<De equivocis > .....	6
<De univocis> .....	10
<De denominativis> .....	12
<De complexo et incomplexo> .....	16
<De subiecto et predicato> .....	18
<De regulis predicationis> .....	21
<De numero et sufficientia predicamentorum> .....	25
<De substantia> .....	29
<De natura substantie> .....	29
<De proprietatibus substantie> .....	36
<De quantitate> .....	43
<De natura et speciebus quantitatis> .....	43
<De proprietatibus quantitatis> .....	56
<De relatione> .....	60
<De natura relations> .....	60
<De proprietatibus relations> .....	66
<De qualitate et quali> .....	74
<De sex residuis predicamentis> .....	83

# **Walter Burley: Tractatus super librum Predicamentorum**

Walter Burley scrisse tre diversi commenti per lemmi alle *Categorie* di Aristotele, il primo dei quali è stato edito da Mischa von Perger nel 2003 (su *Franciscan Studies* 61, pp. 55-95). Il testo che segue è quello del secondo commento (o commento “mediano”), composto dopo che egli era divenuto maestro della Facoltà delle Arti (Oxford, 1301) e prima della sua partenza per Parigi (1309), dove si recò per gli studi di teologia. Esso ci è tramandato da 4 mss:

Cambridge, Gonville and Caius College 448 = **G** (capp. 1-9);

Cambridge, Peterhouse 184 = **P** (capp. 1-9);

Cambridge, St John College 100 = **J** (capp. 1-9);

London, British Library, Royal 12.F.xix (capp. 5-9) = **R**.

Si dà qui un testo risultativo dell’opera, fondato sostanzialmente su **P** (Cambridge, Peterhouse 184), corretto ed integrato sulla base degli altri 3 mss.

La divisione del commento in capitoli segue le indicazioni fornite dallo stesso Burley, mentre i titoli attribuiti a ciascuna sezione sono quelli ritenuti più pertinenti all’argomento trattato.

Trattandosi di un testo provvisorio, che rendo pubblico in attesa di completare l’edizione critica del commento, mancano sia l’apparato critico che le note relative alle fonti.

Alessandro D. Conti

MAGISTER WALTERUS DE BURLEY  
***TRACTATUS SUPER LIBRUM PREDICAMENTORUM***

<a cura di Alessandro D. Conti>

### <*Prologus*>

**Equivoca dicuntur quorum solum nomen** etc.

Impossible est cognoscere totum partibus ignotis; cum ergo demonstratio, que est finis logici negotii, sit ex propositionibus, et propositio ex terminis, ad hoc quod finem logice attingamus oportet precognoscere propositionem, et ad hoc quod propositio cognoscatur oportet precognoscere partes propositionis. Unde sicut fabricator domus prius eget preparatione laterum et lignorum et luti ut postea de his fabricet domum, sic inquisitor scientie composite debet primo apprehendere scientiam partium. Cum igitur demonstratio intendatur principaliter in logica, oportet primo cognoscere partes ex quibus demonstratio constat, cuiusmodi sunt propositiones et partes propositionum; et ante cognitionem propositionis oportet cognoscere partes propositionis. Ideo liber *Predicamentorum*, in quo determinatur de partibus propositionis, est primus ordine doctrine inter libros logice Aristotelis.

Sed dubium est que sint illa simplicia de quibus hic intendit, et que sit huius libri intentio, quoniam, secundum quod recitat Simplicius, quibusdam videtur quod hic determinat de vocibus; unde dicunt intentionem huius libri esse de simplicibus vocibus. Sicut enim liber de propositionibus est de vocibus compositis, non de rebus, ita iste liber, qui est de partibus propositionis, de vocibus erit. Hec fuit opinio Boethii in commento, qui dicit: “Quidam inscripserunt de rebus, quidam de generibus rerum, quos eadem similisque culpa confundit”. Et subdit: “Non de rerum generibus neque de rebus, sed de sermonibus rerum genera significantibus in hoc opere tractatus habetur. Et hoc Aristoteles declarat ubi dicit: “Eorum que secundum nullam complexionem dicuntur singulum aut substantiam significat” etc., quod si de rebus divisionem faceret, non dixisset: “Significat”; res enim significantur, non significant. Illud quoque maximum argumentum est Aristotelem non de rebus sed de sermonibus res significantibus speculari quod ait: “Horum autem ad se invicem complexione affirmatio fit”; res enim si iungantur nullo modo affirmationem faciunt. Affirmatio namque oratio est, oratio vero vox, vox vero non constat nisi ex vocibus; illa ergo de quibus hic determinat sunt voces et non res”. Idem vult Simplicius hic, qui dicit: “Intentio in hoc negotio est de simplicibus et primis et generalibus vocibus, secundum quod significative sunt”. Et isto modo sententiant Alexander, Boethius, Porphyrius et Iamblicus.

Alii autem hanc intentionem non admittunt, quia non est philosophi de vocibus considerare, sed grammatici magis, passiones, scilicet, significations et derivations ipsarum considerant. De

entibus ergo ipsis que per vocem significantur dicunt esse intentionem. Testem etiam ipsi Aristotelem inducunt, dicentem: “Entium vero quedam de subiecto dicuntur aliquo”, tamquam de entibus sit divisio. Similiter: “Substantia est que principalissime et primo et maxime dicitur”, tamquam de existente substantia et de aliis entibus fuit sermo. Idem vult Averroes in dividendo capitula <G 1b> huius libri. Dicit enim quod Philosophus in primo capitulo narrat quasdam diffinitiones entium in eo quod significantur per dictiones. Ex quo patet quod Philosophus non diffinit dictiones, sed res significatas per dictiones. Idem vult Avicenna, prima parte sue *Logice*, qui dicit <P 171va> sic: “Ad considerationem dictionum ducit nos necessitas. Logicus enim, ex hoc quod logicus, non habet primo occupari circa verba, nisi quantum ad loquendum et legendum. Si enim possibile esset logicum docere solo intellectu, ita quod non considerarentur alia eius nisi † < ... > † solus intellectus tunc sufficeret. Si enim doctor artis posset revelare illud quod est in anima eius alio modo, semper supercederet a verbis”. Ex istis patet quod logicus non habet principaliter determinare de vocibus.

Ideo dicendum quod in libro *Predicamentorum* et in ceteris partibus logice principaliter determinatur de rebus et ex consequenti de vocibus. Quod patet, quoniam, cum cognitio demonstratio-  
nis sit finis logice, cum demonstratio non posset cognosci nisi cognitis istis de quibus intellectus debet discurrere et <J 55rb> de quibus debet aliquid concludi, et talia ex quibus intellectus discurrit in demonstrando et de quibus intellectus concludit passiones et proprietates sunt vere res extra animam, quoniam in demonstratione concluditur passio de specie, que est vera res extra animam, se-  
quitur quod logicus habet de veris rebus extra animam considerare. Et ideo in isto libro determinatur de rebus principaliter. Quod patet per processum Philosophi. Nam data prima divisione, que est de numero eorum que dicuntur, “quedam dicuntur cum complexione et quedam sine”, dat aliam divisionem, in qua subdividit unum membrum prime divisionis relinquendo reliquum membrum, quod est quod quedam dicuntur cum complexione, et subdividit aliud membrum, quod est ad propositum, sic: “Eorum que sunt sine complexione quedam dicuntur de subiecto et non sunt in subiecto” etc. Quia si ista divisio foret divisio vocis, non dixisset: “Quedam dicuntur de et non sunt in”, quoniam quelibet vox est in subiecto. Patet igitur quod principaliter intendit determinare de rebus.

Similiter, proprietates quas assignat inesse substantie et aliis predicamentis non sunt proprie-  
ties vocis, sed rei, sicut nec diffinitiones, quoniam hec descriptio, “qualitas est secundum quam quales dicimur”, non est descriptio vocis, sed rei.

Similiter, si hic determinaretur de vocibus, aut scientia hic tradita non esset de decem predi-  
camentis, aut predicamenta essent voces. Non est dare primum nec secundum, quia si vox esset pre-  
dicamentum, ergo si predicamentum substantie esset hec vox ‘substantia’, cum cuilibet generi gene-  
ralissimo possent imponi tres voces diverse, quelibet istarum vocum esset predicamentum, quia qua-  
ratione una et quelibet alia; et sic essent triginta predicamenta – quod falsum est.

Ideo dicendum quod scientia hic tradita est de rebus, scilicet de decem rebus primis. Quoniam res sunt infinite, ideo Philosophus in hoc libro infinitorum multitudinem sub certo numero comprehendit, ut tractando de decem rebus primis traderet scientiam de omnibus aliis, quoniam sub istis decem rebus comprehenduntur omnes alie res. <G 2a> De vocibus tamen determinat ex consequenti et non principaliter, quia non determinat de vocibus nisi quia non possumus docere nec addiscere sine vocibus. Si enim possemus aliter docere vel addiscere, non haberet logicus curare de vocibus.

Sed dubium est, cum metaphysicus et naturalis determinant de rebus et grammaticus de vocibus, qualiter diversimode determinant logicus de rebus et <P 171vb> de vocibus et alii artifices.

Dicendum quod Avicenna, prima parte sue *Logice*, capitulo primo, <dicit>: “Logicus non determinat de rebus secundum quod sunt in sensibilibus nec secundum quod sunt essentie, sed secundum quod sunt predicata et subiecta, universalia vel particularia”. Unde naturalis determinant de rebus secundum quod sunt in sensibilibus, et metaphysicus determinant de rebus secundum quod res sunt essentie et secundum quod res considerantur secundum illud quod sunt, sed logicus determinant de rebus secundum quod sunt predicabiles vel subicibles.

Unde intelligendum quod res potest intelligi duplicitate, scilicet intellectione primaria vel intellectione secundaria. Primo modo apprehenditur res ab intellectu absolute, non comparando rem alicui alteri. Secundo intelligitur res prout comparatur aliis. Primo enim intelligitur natura humana absolute, et postea apprehenditur convenire pluribus. Rei, secundum quod primo apprehenditur ab intellectu, imponitur nomen prime intentionis, ut hoc nomen ‘homo’ vel hoc nomen ‘animal’; secundo rei imponitur nomen secunde intentionis, ut ‘genus’ vel ‘species’, et sic de aliis. Et sic patet quod eadem res est cui imponitur nomen prime intentionis et cui imponitur nomen secunde intentionis. Aliud tamen est a quo accipitur nomen prime intentionis et a quo accipitur nomen secunde intentionis. Unde isti termini ‘homo’ et ‘hec species’, demonstrata specie hominis, significant eandem rem omnino.

Si ergo queratur qualiter logicus considerat de rebus est dicendum quod considerat de rebus <J 55va> prout res apprehenduntur secundario ab intellectu; sed qualiter considerat de vocibus, dicendum quod considerat de vocibus in quantum sunt significative et non secundum quod una derivatur ab alia nec secundum quod una vox sic vel sic construitur cum alia - sed isto modo considerat grammaticus de vocibus.

Sed adhuc dubitatur qualiter diversimode determinatur hic de vocibus incomplexis et in libro *Perihermenias*. Ad illud respondet Boethius quod hic determinatur de vocibus ut significant res, in libro autem *Perihermenias* ut significant intellectus. Quod sic videtur esse intelligendum: quod hic determinatur de vocibus prime impositionis et in libro *Perihermenias* determinatur de vocibus se-

cunde impositionis. Voces prime impositionis significant res, distinguendo res contra voces. Unde tam nomina prime intentionis quam secunde intentionis sunt nomina prime impositionis. Sed voces secunde impositionis significant vocem vel communia solum vocibus, huiusmodi sunt nomen et verbum. Unde hic determinatur de nominibus rerum et in libro *Perihermenias* de nominibus nominum.

## **<De equivocis >**

Expeditis autem his que extra litteram erant consideranda, sciendum quod iste liber dividitur in tres partes principales. In prima parte determinat de his que antecedunt cognitionem predicamentorum. Unde dicit Averroes: “Ista pars prima est sicut prooemium, quia in ista <**G 2b**> comprehenduntur ea que vult dicere in hoc libro”. In secunda parte narrat decem predicamenta singillatim, describendo et dividendo ea in species suas probabiles, et dando proprietates. In tertia parte determinat de his que consequuntur cognitionem predicamentorum. Prima pars habet quattuor capitula. Nam in primo capitulo dat quasdam diffinitiones que valent ad propositum; in secundo capitulo <**P 172ra**> assignat quasdam divisiones; in tertio capitulo ponit dignitates; in quarto ponit divisionem entium in decem predicamenta, et docet quod affirmatio et negatio non sequuntur entia simplicia significata per dictiones simplices, immo entia composita significata per dictiones compositas. Ut dicit Averroes.

Adhuc in primo capitulo ponit tres descriptiones, quia primo ponitur descriptio equivocorum, et secundo univocorum et tertio denominativorum. Et habet Philosophus in hoc libro determinare de equivocis, univocis et denominativis quoniam res predicabilis potest comparari ad tria, scilicet ad transcendens, quod est superius ad predicamenta, et ad rem eiusdem predicamenti, et ad rem alterius predicamenti. Illud quod est superius ad predicamenta predicitur de predicamentis equivoce vel analogice; et res unius predicamenti predicitur de re eiusdem predicamenti univoce; sed res unius predicamenti predicitur de re alterius predicamenti solum denominative. Et ideo, secundum quod res predicabilis comparatur ad tria, necesse fuit ponere descriptiones istorum trium, scilicet equivocorum, univocorum, et denominativorum.

Et primo describitur equivoca, cuius ratio est secundum Boethium quia equivocum est communius quam univocum, quoniam <cens> equivoce predicitur de decem predicamentis, sed nihil predicitur de decem predicamentis univoce. Dicit ergo Philosophus: “Equivoca dicuntur quorum solum nomen commune est, secundum vero nomen substantie ratio diversa”. Dicitur consequenter quod hec descriptio est equivocorum equivocatorum. Sed, cum equivoca equivocata sunt res et non voces, querit Boethius qualiter Philosophus transfert <**J 55vb**> se ad res, cum sit determinatus de vocibus. Respondet dicens quod vocabula unita sunt rebus, ideo necesse est ut proprietates rerum respondent vocibus. In vocibus enim nihil equivocans potest haberi nisi sint res que equivocantur.

Istam descriptionem explanat Boethius quantum ad singulas particulias. Dicit enim quod Philosophus dicit: “Equivoca dicuntur” et non dicit ‘Equivoca sunt’, quia res equivoce non sunt per se nisi unum nomen habeant. Et ideo non secundum quod sunt sunt equivoca, sed secundum quod per voces significantur. Istud dictum Boethii est sic intelligendum, quod res non sunt equivoce, sed di-

cuntur equivoce. Si enim res dicerentur equivoce ita quod solum essent equivoce, esset concedendum quod univocum pugnet cum equivoco; et ideo res non est equivoca, sed dicitur equivoca, hoc est: vox equivoca competit rebus et significat res. Et tunc est descriptio sic intelligenda: equivoca dicuntur, id est: res dicuntur equivoce, id est: significantur per vocem equivocam, quorum, id est: quarum rerum, solum nomen est commune etc.

Alias particulias notificat Boethius: ‘nomen’ secundum quod hic accipitur in proposito accipitur indifferenter pro qualibet parte <**G 3a**> orationis, quoniam equivocatio reperitur in nominibus et in verbis et in aliis partibus orationis. Unde non accipitur ‘nomen’ in proposito stricte, secundum quod dividitur per appellativum et proprium. Ly ‘solum’ in proposito ponitur ad excludendum unum tantum, scilicet: rationem eandem secundum nomen equivocum <**P 172rb**>. ‘Commune’ dicitur multis modis. Nam aliquid dicitur commune quod per partes dividitur et participatur a diversis secundum diversas partes. Et sic fons in civitate dicitur communis omnibus in civitate. Alio modo dicitur commune quod non dividitur per partes, sed in diversis temporibus transit in usus diversorum; et sic equus dicitur communis et servus. Alio modo dicitur commune quod totum in eodem tempore ad singulos venit, et est extra eorum substantiam; et sic vox audita a diversis dicitur communis, quia simul venit ad aures diversorum. Et isto tertio modo accipitur commune in proposito. Nam sicut eadem vox secundum se totam simul auditur a diversis, sic eadem vox equivoca simul secundum se totam imponitur diversis; et imponitur uni ac si non imponeretur alteri. ‘Ratio’ sumitur multis modis, sed in proposito accipitur pro descriptione. In littera Boethii non invenitur ‘substantie’, sed solum quod ratio est diversa secundum illud nomen. Si tamen hec particula ‘substantie’ debet poni in predicta descriptione, non accipitur substantia secundum quod distinguitur contra accidentis, sed accipitur indifferenter pro quacumque essentia. Et hoc modo dicimus quod color est substantia albedinis. Et bene additur hec particula ‘secundum illud nomen’, quia, ut dicit Boethius, aliter univoca forent equivoca, quoniam homo et asinus habent nomen eis commune, scilicet ‘animal’, et habent descriptiones diversas; sed quia non habent descriptiones diversas secundum hoc nomen ‘animal’, ideo homo et asinus sunt univoca et non equivoca. Unde res dicuntur equivoce que habent aliquod nomen eis commune et descriptionem diversam illius nominis quod de eis dicitur equivoce.

Intelligendum est quod illud non est inconveniens: aliqua univocari sub uno nomine et equivocari sub alio, sicut patet. Marina belua et latrabile animal univocantur sub animali et equivocantur sub cane. Et respectu illius vocis dicuntur equivocari quia vox competit eis et descriptio illius vocis est diversa secundum quod competit uni et alteri.

Sciendum quod, secundum Simplicium et Boethium, equivocatio alia fit a casu alia a consilio. A casu fit quando idem nomen imponitur diversis absque aliqua ratione similitudinis vel parentele. Et sic hoc nomen <**J 56ra**> ‘Iohannes’ imponitur alicui exsistenti hic et alicui exsistenti Rome.

Sed equivocatio fit a consilio quando idem nomen imponitur diversis aliqua de causa. Et hoc contingit quadrupliciter, scilicet secundum similitudinem, secundum proportionem, ab uno et ad unum. Exemplum primi, ‘animal’ significat animal vivum et animal pictum equivoce, equivocatione accepta secundum similitudinem, quia propter similitudinem inter animal vivum et animal pictum transmutatur nomen animalis vivi ad animal pictum. Exemplum secundi: sic enim ‘principium’ dicitur equivoce de puncto et de unitate. Unde differentia est inter similitudinem et proportionem, quia similitudo attenditur inter duo, ut inter animal vivum et animal pictum, sed proportio est inter quat tuor, ut inter punctum et unitatem, lineam et numerum. Unde ‘principium’ dicitur equivoce de puncto et unitate quia unitas sic est principium numeri quod unitas multiplicata constituit numerum et unitas est pars numeri; sed punctus est principium linee eo quod est terminus linee et non est pars linee. Exemplum tertii: sic enim ‘medicinale’ dicitur de libro et de potionе. <**P 172va**> Nam liber dicitur medicinalis et potio dicitur medicinalis, sed <**G 3b**> equivoce; nam liber dicitur medicinalis eo quod continet ea que ad medicinam pertinent, sed potio dicitur medicinalis quia efficit sanitatem. Et hec est equivocatio ab uno, quia utrumque illorum, scilicet liber et potio, dicitur ‘medicinalis’ a medicina. Quarta est equivocatio ad unum, quando aliqua propter eundem effectum vocantur eodem nomine. Et isto modo ‘sanum’ dicitur equivoce de cibo et de ambulatione, quia utrumque illorum efficit sanitatem.

Sciendum quod equivocatio ab uno et equivocatio ad unum dicuntur <sic>, quia per ‘ab uno’ designatur causa, per ‘ad unum’ designatur effectus.

In exemplificando de equivocis Philosophus dedit exemplum de equivocis a consilio secundum similitudinem, quoniam hoc modo ‘animal’ dicitur equivoce de animali vivo et de animali picto, quia hoc nomen ‘animal’ competit utrisque, sed diversa est diffinitio animalis secundum quod competit animali vivo et animali picto, quia diffinitio animalis ut competit animali vivo est ‘substantia animata sensibilis’, sed secundum quod competit animali picto est sua diffinitio ‘similitudo animalis vivi’.

Dubitatur hic quoniam videtur quod animal competit animali picto secundum nomen et secundum diffinitionem nominis. Nam sequitur: animal depingitur, ergo quod depingitur est animal, et ulterius: ergo quod depingitur est substantia animata sensibilis, et sic ei quod depingitur competit ‘animal’ et diffinitio animalis.

Sciendum est pro isto quod in locutione transumptiva admittitur, secundum usum loquendi, unum convertibile et tamen non suum convertibile; et etiam, in talibus locutionibus, conceditur antecedens et negatur consequens. Nam ex usu loquendi dicimus quod aliquis comedit equum suum, si expendat equum suum in comedendo, et tamen non dicimus quod comedit carnes. Similiter dicimus quod aqua currit, et tamen non concedimus quod aqua movetur supra pedes. Unde unum

convertibilem potest transmutari a propria significatione ad impropriam etsi reliquum non transmutetur. Ideo, etsi significetur de virtute sermonis ‘animal depingitur, igitur substantia animata sensibilis depingitur’, tamen antecedens conceditur, ex usu loquendi, et consequens non. Verumtamen, sicut consequens est falsum de virtute sermonis sic antecedens.

Sciendum, secundum Tullium, quod differentia est inter transumptionem et permutationem. Nam transumptio est quando fit transmutatio in parte ita quod non in toto, sed permutatio est quando fit transmutatio in toto ita quod non in parte principaliter. Unde sit dictio ‘animal depingitur’, hic est transumptio, quia pars huius orationis transmutatur a propria significatione ad impropriam. Sed sit dictio ‘lupus est in fabula’ vel ‘iste comedit equum’, hic est transmutatio in tota oratione et non in aliqua parte principaliter.

Sciendum quod equivocum habens plura significata non ponitur vero in numero plurali de illis significatis. Unde hec est omni sensu falsa ‘latrabile animal et celeste sidus sunt canes’, quia non sunt latrabilia animalia nec celestia sidera. Ista etiam est omni modo falsa ‘animal vivum et animal pictum sunt <J 56rb> animalia’; et ista similiter ‘Sortes et camisia currunt’. Et hec consequentia non valet ‘Sortes currit, camisia currit, ergo uterque istorum currit’, propter equivocationem in ly ‘currit’. Et ista bene stant simul ‘tantum Sortes currit’ et ‘camisia currit’, quia non est idem predicatum in istis.

Visis que dicuntur equivoca, oportet videre que dicuntur univoca.

## **<De univocis>**

**Univoca dicuntur quorum nomen commune est et secundum nomen eadem substantie ratio, ut animal, homo atque bos.**

Et hec diffinitio est intelligenda de rebus quibus competit nomen univocum. Res **<P 172vb>** enim dicuntur univoce sed non sunt univoce; unde hec diffinitio est intelligenda de rebus sicut diffinitio equivocorum.

Sciendum quod hec consequentia non valet: ‘ista univocantur sub aliqua voce, ergo vox eis competit et ratio illius vocis’, nec sequitur e converso ‘nomen competit istis et ratio illius nominis, ergo competit istis univoce’. Sed in utraque consequentia oportet addere **<G 4r>** aliquid antecedenti. Sequitur enim ‘hoc competit istis univoce et habet diffinitionem, ergo competit eis secundum nomen et secundum rationem’. Et aliter non sequitur, quoniam animal rationale competit univoce Sorti et Platoni, et tamen non competit istis secundum nomen et secundum diffinitionem, quia animal rationale non habet diffinitionem, quia si sic diffinitio haberet diffinitionem, et illa aliam, et sic in infinitum. Similiter hec consequentia non valet ‘hoc competit istis secundum nomen et secundum diffinitionem, ergo univoce’, sed oportet addere quod diffinitio huius competat istis equaliter, ita quod non per prius uni quam alteri - quia hoc nomen ‘accidens’ competit omnibus accidentibus, ut qualitati, quantitati et sic de aliis, similiter descriptio huius accidentis competit omnibus accidentibus, que est ‘inesse subiecto’, et tamen hoc commune ‘accidens’ non predicitur univoce de omnibus accidentibus, et hoc quia hec ratio, que est ‘inesse subiecto’, per prius convenit uni accidenti quam alteri, quia aliquod accidens magis dependet a subiecto quam aliud.

Dubitatur hic quoniam secundum diffinitionem univorum esset hec vera ‘equivocum est univocum’, quia omnia equivoca habent hoc nomen ‘equivocum’ eis commune et rationem huius nominis, que est ‘predicari secundum idem nomen et secundum rationem diversam’. Ergo quodlibet equivocum esset univocum.

Preterea, denominativa essent univoca, quia **<accidens in concreto>** predicitur de subiecto secundum nomen et secundum diffinitionem illius nominis.

Ad primum dicendum quod nullum univocum est equivocum, quia, sicut patet ex predictis, res non est equivoca vel univoca, sed vox, et illa vox que est equivoca significat plura, et illa vox que est univoca non significat plura. Et ideo, si equivocum esset univocum, hec esset vera ‘quod significat plura non significat plura’. Verumtamen voces equivoce univocantur sub aliquo univoco, quia iste terminus ‘equivocum’ est univocus cuilibet equivoco. Sed hec consequentia non valet ‘equivoca univocantur sub aliquo, ergo equivoca sunt univoca’, quia non est idem esse univocum et univocari sub aliquo . Si tamen volimus dicere quod illud quod univocatur sub aliquo sit univocum

et quod res sit univoca, tunc esset hec concedenda ‘equivocum est univocum’, ut ‘equivocum equivocans est univocum univocatum’. Sed hec est omnimodo impossibilis ‘equivocum equivocans est univocum univocans’.

Ad secundum dicendum quod accidentia in concreto non predicanter de prima substantia univoce, sed denominative, quoniam ad predicationem univocam requiritur quod predicatum sit de essentia subiecti - et hoc si propositio sit vera. Similiter talia accidentia non predicanter de subiecto secundum diffinitionem nominis, ut dicit Philosophus. Et hoc quia talia diffinitionem non habent.

## **<De denominativis>**

**Denominativa dicuntur quecumque ab aliquo solo casu differentia habent appellationem.**

Ad intellectum denominativorum est primo videndum que dicuntur denominativa, utrum voces an res. Pro quo sciendum quod res dicuntur denominative, quia res participans denominatur a re participata, quia res participans sortitur nomen ex nomine rei participate. Ut Sortes, posito quod sit albus, sortitur hoc nomen ‘albus’ ex nomine rei participate, ut ex hoc nomine ‘albedo’.

Sed tu dices: secundum idem Sortes diceretur albus denominative a candore, quia eadem res est <J 56va> candor et albedo.

Ad istud dicendum quod nunquam secundum se dicitur res <P 173ra> denominative ab alia re; sic enim Sortes diceretur hec res, Sortes, ab albedine - quod falsum est. Sed res dicitur denominative ab alia re secundum nomen quod contrahit ex illa re. Unde non est dicendum quod Sortes dicitur denominative ab albedine, sed est dicendum quod Sortes dicitur denominative albus ab albedine. Nec solum dicitur res denominative ab alia re secundum unum nomen, ut secundum nomen participantis, sed res dicitur denominative a re non simpliciter et secundum se, sed secundum nomen rei participate et rei participantis, quod scilicet ab illa re contrahit, ut Sortes secundum hoc nomen ‘album’ dicitur denominative ab albedine secundum hoc nomen ‘albedo’. Per hoc patet quod Sortes non dicitur albus a candore, sed a candore dicitur candidus.

Est ergo intellectus diffinitionis iste: ille res dicuntur denominative quecumque habent aliiquid ab aliquo – id est: quecumque per participationem alicuius rei inde contrahunt nomen. Et per hoc vocatur “participatio rei” ista duo, scilicet res participans et res participata; “differencia solo casu”, id est: sola finis inflexione, non intelligendo quod res secundum se differat ab alia re casu, sed res secundum nomen differt ab alia re solo <G 4b> casu, ita quod nomen participantis et nomen participati solo casu differant. Unde per ‘casum’ significatur inflexio finis, per ly ‘solo’ denotatur quod non differant in principio. Et sic denominatur participatio nominis. Et per hoc quod dicit “secundum nomen” denotatur quod nomen non denominatur, sed res, quia nomen non habet appellationem secundum nomen, sed res participans habet appellationem, et sortitur nomen secundum nomen rei participate.

Intelligendum est hic, secundum Boethium et Simplicium, <quod> tria faciunt aliqua denominativa, scilicet participatio nominis, participatio rei et inflexio finis. Ad hoc enim quod una res denominaretur ab alia re secundum nomen denominantis et secundum nomen rei denominante requiruntur ista tria: quod convenient in principio et differant in fine, sicut patet in istis ‘albus’ et ‘albedo’; et requiritur quod convenient in significato, non sic quod idem significant, sed quod significando.

tur unius sit pars significati alterius, quoniam ‘album’ significat aggregatum ex albedine et subiecto albedinis, ut dicit Averroes hic et in principio *Physicorum*, sed hoc nomen ‘albedo’ significat albedinem tantum. Et quia ille tres condiciones requiruntur ad hoc quod aliquid sit denominativum, ideo ‘studiosus’ non dicitur denominative a ‘virtute’, nec ‘album’ a candore, quia non convenient in principio, sed sunt voces totaliter disparate, non obstante quod convenient in significato. Et sic posito quod mulier sciat musicam, non dicitur mulier denominative musica a musica que est scientia, quia ‘musica’ adiectivum et ‘musica’ substantivum non differunt in fine; sed, secundum dictum Boethii, ‘musica’ equivoce dicitur de muliere et scientia. Similiter, posito quod ‘albus’ significet idem quod modo significat et quod ‘albedo’ significet asinum, ideo non diceretur ‘albus’ denominative ab ‘albedine’, quia ‘albus’ et ‘albedo’ non convenient in significato.

Intelligendum quod res participantes non dicuntur denominative a quibuscumque rebus participatis, sed solum a rebus participatis sicut accidens participatur a subiecto; quoniam hoc nomen ‘animal’ competit Sorti ab anima (dicitur enim animal quia habet animam sensitivam); et tamen Sortes non dicitur animal denominative ab anima, quia Sortes non participat animam sicut subiectum <**P 173rb**> participat accidens, sed sicut compositum participat formam qua in esse constituitur. Propter hoc patet quod homo non dicitur montanus denominative a monte, quia non dicitur montanus nisi quia habitat in monte, non quia participat montem sicut subiectum participat accidens. Similiter homo non dicitur cappatus denominative a cappa, quia homo non participat cappam sicut subiectum accidens, sed dicitur cappatus quia indutus est cappam.

Dubitatur, quia non videtur quod res que denominatur participat rem a qua denominatur, quia unitas dicitur una denominative, et tamen unitas non participat unitatem, quia si sic sua unitas, cum sit una, participaret unitatem, et illa aliam, et sic in infinitum.

Dicendum quod unitas non dicitur proprie una, sed transumptive. Unde hec non est predicatio denominativa ‘unitas est una’, sed unitas dicitur una sicut mors dicitur pallida, non quia illum colorem participet, sed quia efficit corpus pallidum; sic unitas dicitur una non quia unitas habet unitatem, sed quia unitas est illud per quod <**J 56vb**> aliquid dicitur unum.

Intelligendum est quod communiter dicimus vocem esse denominativam ita quod vox denominetur a voce, quia vox cadit a voce. Sed dicunt aliqui quod vox cadit a voce tripliciter: aut declinatione, aut derivatione, aut concretione forme cum materia seu accidentis cum subiecto. Primo modo cadunt obliqui a recto, ut ‘magistri’ a ‘magister’; secundo modo cadit unum coniugatorum ab alio, sicut adverbium a nomine, ut ‘bene’ a ‘bono’; tertio modo cadit concretum ab abstracto, quia concretum significat subiectum, vel significat per comparationem ad subiectum. Et hoc ultimo modo <**G 5a**> accipitur ‘differre casu’ in proposito. Sic enim dicimus concretum differre ab abstracto solo casu, sola inclinatione seu sola concretione ad materiam. Isti sic dicentes non dicunt res esse

denominativas, sed voces. Et hoc quia ad denominativa requiruntur tria, scilicet convenientia in principio etc.; et iste condiciones non sunt rerum, sed vocum. Et tunc exponitur littera sic: denominativa dicuntur quecumque habent appellationem ab aliquo, id est: sumpta sunt ab aliquo principali nomine. Hic excluduntur ea que neque secundum vocem neque secundum significationem sumuntur ab aliis; unde quia sapiens sumitur a virtute secundum significationem et non secundum vocem, ideo non est denominativum ab eo, ideo ad eius remotionem addit “secundum nomen”, id est: secundum consignificationem vocabuli. Et quia ‘grammatica’ nomen mulieris non est denominativum a ‘grammatica’ nomen discipline, quia non differunt in fine, ad eius differentiam addit “differentia casu (id est: finali terminatione) solo”, id est: in principio non differunt, sed in fine.

Et si queratur quare logicus dicit concretum cadere ab abstracto cum grammaticus dicit e converso (dicit enim quod ‘fortitudo’ cadit ab eo quod est ‘fortis’ et ‘albedo’ ab eo quod est ‘album’), dicendum secundum eos quod grammaticus est artifex sermocinalis et non considerat accidens principaliter nisi secundum esse quod habet in subiecto, logicus tamen, qui est magis profunde perscrutationis, dicit quod unumquodque prius per naturam habet esse abstractum quam concretum. Ideo, quia abstractum significat accidens secundum esse abstractum et concretum significat accidens secundum quod concernit subiectum, ideo, cum grammaticus consideret accidens principaliter secundum esse quod habet in subiecto <P 173va> et logicus principaliter consideret accidens secundum esse eius abstractum, grammaticus habet dicere concretum esse principale, et ideo dicit quod abstractum cadit a concreto; sed logicus, considerans accidens secundum esse eius abstractum principaliter, dicit abstractum esse principale, et ideo dicit quod concretum descendit ab abstracto.

Sed prior expositio est verior, que ponit rem denominari a re. Et videtur esse de intentione Boethii qui dicit: “Quotiescumque aliqua res participat aliquid, sicut rem ita quoque nomen adipiscitur, ut homo qui iustitiam participat et rem quoque inde trahit et nomen”. Unde dico quod ad denominationem requiritur quod res participet rem, et quod a nomine rei participate res participans habeat nomen. Et ideo ad denominationem requiritur res et nomen; res tamen non denominatur, sed nomen. Et hoc intellexit Philosophus cum dixit: “ut a fortitudine fortis”, id est: ille homo qui habet fortitudinem denominatur fortis a fortitudine quam participat.

Sciendum quod si ab albedine aliquis denominatur albus, tamen ab albedine non denominatur albissimus, quia sola albedo quantumcumque sit intensa non sufficit ad denominandum subiectum in gradu superlativo, quia quantumcumque aliquis habeat albedinem intensam potest alius habere albedinem magis intensam; et ideo ad hoc quod aliquis denominetur albissimus requiritur albedo et simul cum hoc respectus ad alios albos, ita quod albedo non invenitur ita intense in aliquo alio. Et propter hoc credo quod hoc nomen ‘albissimum’ non significat solam rem de genere qualitatis nec etiam solum aggregatum ex subiecto et qualitate, sed significat aggregatum ex tribus, scilicet

ex subiecto, qualitate et relatione. Si enim ‘albissimum’ solam qualitatem vel solum aggregatum ex subiecto et qualitate significaret, non posset de non albissimo fieri albissimus sine mutatione facta in illo - quod tamen falsum est, quia posito quod Plato sit albissimus et quod nullus alias a Sorte sit albior Sorte nisi Plato, ad corruptionem Platonis Sortes de non albissimo fit albissimus sine mutatione facta in Sorte. <G 5b> Quod non esset si ‘albissimum’ significaret solam qualitatem vel aggregatum ex duobus. Dico etiam quod ‘album’ significat aggregatum ex subiecto et qualitate, et non <J 57ra> significat solam qualitatem, sed qualitas est principale in significato ‘albi’. Si enim ‘album’ solam qualitatem significaret, hec esset vera ‘album est qualitas’, sumendo subiectum pro suo significato, quia sumendo subiectum pro significato, hec est vera “album est illud quod significatur per hanc vocem ‘album’; et illud non est nisi qualitas; ergo hec esset vera ‘album est qualitas’. Preterea, illud significatur per vocem quod per vocem apprehenditur voce prolata; sed prolata hac voce ‘album’ apprehenditur habens albedinem et non solum albedo; ideo ‘album’ significat habens albedinem et non solam albedinem.

Intelligendum, secundum Boethium, quod multivoca et diversivoca Aristoteles respuit, quia ad presentem tractatum utilia non putavit. Et Simplicius dicit quod hoc est quia non faciunt ad res sed ad dictiones. Et ideo secundum Simplicium videtur quod Philosophus in determinando de denominativis magis determinat de rebus quam de vocibus. Boethius dicit: “Multivoca sunt quorum sunt plura nomina et unica diffinitio, ut gladius <P 173vb> et ensis. Diversivoca sunt quorum nec est idem nomen nec eadem diffinitio, ut homo et color”. Simplicius dicit quod denominativa sunt media inter simpliciter univoca et simpliciter equivoca, quia in illis nec est totaliter idem nomen nec totaliter diversum; nec etiam est totaliter eadem ratio nec totaliter diversa.

Quantum ad primum capitulum hec sufficiunt.

## **<De complexo et incomplexo>**

In secundo capitulo ponit Philosophus quasdam divisiones ex quibus accipit membra que sunt ad eius propositum. Prima divisio est ista: eorum que dicuntur aliqua vero secundum complexionem dicuntur, alia vero sine complexione. Ea que sine complexione dicuntur sunt ut homo, bos, currit, vincit. Et ea que secundum complexionem dicuntur sunt ut homo currit, homo vincit.

Simplicius movet hic unam dubitationem: utrum membra istius divisionis sint res aut voces. Unde dicit sic: “Tot modis fit divisio eo quod dicitur et eo quod est dici, dignum est querere quod horum significatorum accepit ad divisionem”. Et dicit Simplicius: “Eorum que dicuntur sunt et res de quibus est sermo et conceptus de rebus. Propter quod, quando putamus dicere non intelligentes dicenti dicimus: ‘nihil dicis’, quamvis proferat aliquem sermonem vel dictionem”. Sed dubium est quid illorum est illud quod ad istam divisionem accipitur. Alexander dicit, ut recitat Simplicius, quod per hec verba “ea que dicuntur” non intelligit significata, sed que significant et proferuntur. Quomodo enim nunc diceretur de rebus, cum paulopost dicat “eorum que secundum nullam complexionem dicuntur unumquodque aut substantiam significat aut quantitatem” etc.? Et sic videtur intelligere quod incomplexa de quibus Philosophus hic determinat sunt voces significantes et non sunt res significatae. Et hoc idem dicit Simplicius: “Convenientius igitur est que dicuntur dictiones dicere significativas secundum quod significative sunt”. Et paulopost dicit: “Predicamenta non sunt ipse res, neque conceptus, neque dictiones simpliciter secundum quod voces sunt, sed dictiones significative rerum per medios conceptus”. Et sic de intentione Simplicii videtur quod predicamenta non sunt res, sed magis voces significative. Sed utrum hoc sit verum videbitur in sequentibus.

Videtur etiam quod ista divisio, “eorum que dicuntur” etc., sit divisio rerum et non vocum, quia posita hac divisione Philosophus ponit aliam divisionem subdividendo unum membrum prime divisionis, ut subdividendo incomplexum, et dicit quod aut predicator de subiecto et non est in subiecto, aut non est in subiecto et predicator de subiecto etc. Nunc certum est quod ista est divisio rei et non vocis. Idem vult Averroes, <qui in ex>ponendo primam divisionem dicit sic: “Rerum significatarum per dictiones quedam sunt simplices significatae per simplices dictiones, ut ‘homo’, ‘equus’; quedam vero composite significatae per dictiones <G 6a> compositas, ut ‘homo est animal’ et ‘equus currit’”. <P 174ra> Ex hoc arguo sic: hec divisio est illorum que significantur per voces; huiusmodi sunt res et non voces; ergo hec est divisio rerum et non vocum. Et hoc est concedendum, quia hic est principaliter determinandum de rebus, ut visum est prius. Nunc autem quedam res est complexa et quedam incompleta; res significata per ‘hominem’ est incompleta et res significata per hoc totum ‘homo est animal’ est res complexa. Sed intellige quod aliquid dicitur complexum quia est compositum ex pluribus incomplexibus aut quia <J 57rb> alteri complectitur ita quod ipsum

cum alio constitutus complexum. Primo modo res significata per istam ‘homo est animal’ est complexum; secundo modo res significata per ‘hominem’ est complexum.

Sed dubium est qualiter hec divisio potest esse divisio rerum, cum res non dicuntur sed voices. Dicendum quod dicere uno modo idem est quod significare; sicut dicimus quod scriptura dicit, quia significat. Et sic dici est idem quod significari. Est ergo sensus: eorum que dicuntur, hoc est: eorum que significantur, quedam significantur per sermonem incomplexum et quedam per sermonem complexum. Sermo complexus est qui est compositus ex pluribus dictionibus ad manifestandum complexum intellectum, ut hic ‘homo currit’; sermo incomplexus dicitur qui non est compositus ex pluribus dictionibus ad complexum intellectum significandum. Sed iste sermo qui habet constituere simplicem intellectum, ut ‘homo’ vel ‘animal’, dicitur sermo incomplexus.

## **<De subiecto et predicato>**

Post divisionem eorum que dicuntur ponit Philosophus divisionem eorum que sunt. Eadem tamen dicuntur et sunt, ut dictum est. Sed hec secunda divisio est subdivisio unius membra prime divisionis, scilicet rei incomplexe. Et est hec divisio: eorum que sunt quedam dicuntur de subiecto et non sunt in subiecto, et quedam sunt in et non dicuntur de, et quedam dicuntur de et sunt in, et quedam nec dicuntur de nec sunt in.

Hic est primo videndum quid sit unumquodque istorum et cuius proprietas est. Sunt enim hic quattuor, scilicet: dici de, non dici de, esse in, non esse in. Dici de est condicio universalis; Non dici de est condicio singularis; esse in est condicio accidentis; non esse in est condicio substantie. Unde dicit Boethius: “Non esse in subiecto est descriptio substantie, et esse in subiecto est descriptio accidentis. Per hoc patet quod illud quod dicitur de subiecto et non est in subiecto est substantia universalis, ut homo vel animal, et illud quod dicitur de subiecto et est in subiecto est accidens universalis, ut albedo, scientia; illud quod est in subiecto et non dicitur de subiecto est accidens singulare, sed illud quod nec est in subiecto nec dicitur de subiecto est substantia singularis, ut Sortes vel Plato”.

Sed, quid intelligitur per ‘esse in subiecto’ et quid est esse in subiecto Philosophus dicit: “Dico esse in aliquo ut in subiecto quod cum in aliquo sit non sicut quedam pars, impossibile est illud esse sine eo in quo est” – ut color sic est in corpore quod non <P 174 rb> est pars corporis et impossibile est colorem esse nisi in corpore. Per hoc ergo quod ait: “non sicut quedam pars” removet illum modum essendi in aliquo ut in toto; per hoc autem quod ait: “impossibile est esse sine eo in quo est” removet alios modos, scilicet esse in aliquo ut in loco et in vase.

Contra istam descriptionem arguit Boethius, quoniam corpus est in loco non sicut pars in toto; et impossibile est corpus esse nisi in loco; ergo, si hec descriptio esset conveniens, corpus esset in loco sicut accidens in subiecto.

Istud solvit Boethius sic: “Impossibile est esse sine eo in quo est, id est: non potest esse nisi per illud in quo est”. Corpus autem etsi non posset esse sine loco, tamen non habet esse per locum. Aliter potest dici quod etsi corpus non posset esse sine loco, tamen potest esse sine hoc loco et sine illo.

Adhuc querit Boethius sub quo membro <G 6b> divisionis continetur differentia substantialis, et dicit quod differentia substantialis nec est substantia nec accidens, sed mixtum ex utrisque. Non tamen intelligit quod differentia substantialis sit composita ex substantia et accidente, sicut mixtum est compositum ex miscilibus. Sed qualiter differentia substantialis est mixta ex substantia et accidente bene declarat Augustinus in suis *Predicamentis*. Dicit enim quod substantiales differen-

tie natura substantie sunt predicatione vero accidentia. Et ita differentia est mixta ex substantia et accidente, quoniam predicatione est accidens, cum predicetur in quale, natura vero est substantia, quia rationalitas est substantia et non est in subiecto aliquo.

Sciendum quod divisio potest dari per duo membra sic: de numero eorum que sunt quodlibet aut est in subiecto aut non est in subiecto. Et tunc dividatur utrumque membrum, quia si sit in subiecto, aut dicitur de subiecto aut non dicitur de subiecto. Similiter, si non sit in subiecto, aut dicitur de subiecto aut non dicitur de subiecto.

Boethius dicit de ista divisione quod Philosophus hic sermonum omnium multitudinem in parvissimam collegit divisionem. Hoc videtur falsum, quia hec divisio videtur minor de numero: eorum que sunt quoddam est substantia et quoddam accidens; et similiter hec divisio: entium quoddam est universale et quoddam est singulare; et tamen utraque istarum divisionum omnium sermonum multitudinem includit. <**J 57va**>

Dicendum quod Boethius dicit istam divisionem esse parvissimam non absolute, sed parvissimam respectu propositi, quia nulla est divisio minor ista qua potest distinguere ea de quibus vult tractare, scilicet genera et species primi predicamenti a generibus et speciebus aliorum predicamentorum, et individua ab individuis. Et ideo respectu sui propositi est ista divisio parvissima. Vel aliter, quod ista divisio est parvissima quia est bimembris; et utrumque membrum debet ulterius subdividi – ut dictum est prius.

Sciendum est hic, secundum Simplicium, quod accidens universale habet duplex subiectum, unum in quo est et aliud de quo dicitur. Subiectum in quo est substantia et subiectum de quo est accidens. Sic enim anima est subiectum grammaticae (subiectum dico in quo grammatica est), sed hec grammatica est subiectum grammaticae de quo grammatica dicitur. Unde ‘subiectum’ equivoce sumitur in hac divisione, cum dicitur quod aliqua sunt in subiecto et dicuntur de subiecto, quia cum dicitur <**P 174va**> aliquid esse in subiecto accipitur ‘subiectum’ pro substantia, que est subiectum accidentis, sed cum dicitur aliquid predicari de subiecto accipitur ‘subiectum’ pro subiecto propositionis.

Dubitatur an album sit in subiecto, seu an res significata per istum terminum ‘album’ sit in subiecto. Si detur quod sic, cum iste terminus ‘album’ significet aggregatum ex subiecto et albedine, si res significata per ‘album’ esset in subiecto, aliquid esset in sua parte. Si detur quod non sit in subiecto, ergo esset substantia; et sic ‘album’ esset nomen substantie.

Dicendum, secundum quod dicit Simplicius, quod ‘album’ significat duo: qualitatem scilicet et coloratum. Unde dico quod ‘album’ significat aggregatum ex subiecto et qualitate. Et ideo res significata per ‘album’ nec est substantia nec accidens, sed est aggregatum per accidens. Unde dico quod res significata per ‘album’ non est in subiecto. Nec ex hoc sequitur quod sit substantia. Nec

vult Philosophus quod omne quod non est in subiecto sit substantia, quia sic chimera esset substantia; sed vult quod omne <ens> reale simpliciter unum et omnis res predicable que non est in subiecto sit substantia. Nunc album non est tale.

## **<De regulis predicationis>**

In tertio capitulo ponit Philosophus quedam principia observanda in doctrina de predicamentis. Primum principium est: quando alterum de altero predicatur quicquid predicatur de predicato predicatorum de subiecto, ut quia hec est vera <G7a> ‘Sortes est homo’, et de homine predicatur animal, ideo de Sorte predicatur animal.

Contra istam regulam arguitur: hec est vera ‘Sortes est homo’, et hec est vera ‘homo est species’, et tamen hec est falsa ‘Sortes est species’. Dicendum, secundum Boethium, quod ista regula est sic intelligenda: quando alterum de altero predicatur ut de subiecto, quicquid predicatur de predicato tamquam de subiecto, idem predicatur de subiecto. Pro quo est intelligendum quod subiectum dicitur tripliciter: nam aliquid dicitur esse subiectum quia substat accidenti; et sic dicimus quod omne accidens est in subiecto. Alio modo dicitur aliquid subiectum quia substat predicato; et sic dicimus propositionem habere subiectum et quod predicatum predicatur de subiecto. Tertio modo dicitur subiectum quia substat alicui superiori, vel superioribus, in linea predicamentali; et dicitur subiectum quasi sub alio iactum in linea predicamentali. Adhuc, quarto modo dicitur subiectum illud quod est obiectum intellectus; et sic quelibet scientia dicitur habere subiectum. Sed in proposito, cum dicitur: “Quando alterum de altero predicatur ut de subiecto” etc., accipitur ‘subiectum’ secundum quod aliquid dicitur subiectum quia est sub alio iactum in linea predicamentali, ut inferius dicitur esse subiectum respectu superioris; et non accipitur pro subiecto propositionis. Est ergo iste intellectus regule: quando alterum de altero predicatur ut de subiecto, quicquid predicatur de predicato tamquam de subiecto in linea predicamentali idem predicatur de subiecto. Et hoc modo animal predicatur de homine et ideo de Sorte. Sed patet <quod> sic non predicatur hoc quod dico species de homine, nec predicatur de homine in quid, quia si queratur ‘quid est homo?’ non respondeatur convenienter dicendo quod homo est species.

Aliam regulam ponit Philosophus, et est ista: diversorum generum et non subalternatim positorum diverse sunt species et differentie. Sed si sint genera subalternatim posita possunt habere easdem species et easdem differentias. Unde ista regula habet duas particulas, ut patet.

Sciendum quod per ‘genera non subalternatim posita’ intelligit genera quorum neutrum ponitur sub alio nec ambo sub tertio, cuiusmodi sunt animal et scientia. Ista enim sunt genera non subalternatim posita, et habent diversas species et diversas differentias. Secunda <J 57vb> particula est quod si sint genera subalternatim posita habent easdem differentias et easdem species. Unde dicit Philosophus: “Superiora de inferioribus predicantur generibus, quare quecumque <P 174vb> predici differentie fuerunt, eadem erunt et subiecti”.

Istud exponit Boethius sic, quod quia superiora de inferioribus predicanter, ideo quecumque sunt differentie inferioris eadem sunt differentie superioris; et ideo quecumque sunt differentie subjecti sunt differentie predicati. Sed Simplicius aliter exponit distinguendo de differentiis, quia quedam sunt differentie constitutive et quedam divisive; et ille eadem que sunt divisive superioris sunt constitutive inferioris, ut patet: rationale dividit animal et constituit hominem. Dicit etiam quod ille differentie que sunt constitutive superioris sunt constitutive inferioris, quia quicquid constituit superius constituit inferius. Sed differentie divisive superioris non sunt divisive inferioris, quia corpus dividitur per animatum et inanimatum, sed per istas differentias non dividitur animal; et animal dividitur per rationale et irrationale, sed per istas differentias non dividitur homo. Unde intelligendum est quod nunquam differentie que dividunt superius complete dividunt inferius, sed ille differentie constituunt inferiora. Sed quecumque differentie constituunt superius constituunt inferius, et quecumque differentie dividunt inferius dividunt superius, sed non complete. Unde, quia animal dividitur per rationale et irrationale, ideo substantia dividitur per rationale et irrationale, quoniam quedam substantia est rationalis et quedam irrationalis; sed substantia non dividitur sufficienter per rationale et irrationale, quia non omnis substantia est rationalis vel irrationalis.

Contra primam partem regule sunt instantie, quia substantia et quantitas sunt diversa genera non subalternatim posita, et tamen habent eandem speciem, scilicet corpus.

Preterea, qualitas et relatio sunt diversa genera et non subalternatim posita, et tamen habent eandem speciem, quia scientia est in genere qualitatis et in genere relationis.

Preterea, substantia incorporea <G 7b> et animal sunt diversa genera non subalternatim posita, et tamen habent eandem differentiam, puta rationale.

Ad primum illorum dicitur quod corpus est equivocum ad corpus substantiam et ad corpus quantitatem; et adhuc corpus substantia est equivocum, quia uno modo est genus et alio modo est altera pars compositi distincta contra animam. Corpus in genere substantie est substantia in qua possunt poni tres dimensiones; corpus quantitas est compositum ex dimensionibus. Unde corpus in genere substantie est proprium subiectum corporis in genere quantitatis. Tres dimensiones accident corpori in genere substantie, sed dimensiones non accident corpori in genere quantitatis, sed sunt eius termini vel eius partes. Intelligendum tamen quod corpus in genere quantitatis non est compositum ex linea et superficie, sed linea et superficies sunt termini corporis. Sed corpus in genere quantitatis est compositum ex corporibus.

Sciendum etiam quod corpus in genere quantitatis est quantitas secundum quam aliquid dicitur esse profundum, sicut linea est quantitas secundum quam aliquid dicitur longum. Linea enim non est longitudo, sed est illud secundum quod aliquid dicitur longum; et superficies est illud secundum quod aliquid dicitur esse latum; et corpus est illud secundum quod aliquid dicitur esse pro-

fundum. Si tamen esset concedendum quod linea esset longitudo, eodem modo esset concedendum quod corpus in genere quantitatis est ipsa profunditas. Sic enim corpus in genere quantitatis se habet ad profunditatem sicut linea se habet ad longitudinem.

Sciendum etiam quod corpus substantia secundum quod est genus est commune omni substantie materiali et predicable de eis. Sed corpus quod est altera pars compositi non est predicable de aliquo <P 175ra> per se in genere. Avicenna tamen ponens differentiam inter corpus quod est genus et corpus quod est pars, dicit sic: "Corpus substantia duplíciter consideratur. Uno modo ut est habens longitudinem et latitudinem et profunditatem in actu, et sic merito dicitur pars. Alio modo consideratur corpus substantia ut est in potentia receptibilis longitudinis et latitudinis vel profunditatis, et sic est genus, et predicatur de omni substantia composita". Eodem modo dicit de animali quod animal consideratur duplíciter. Uno modo ut est actu perfectum, determinatum per rationalitatem, et sic merito est pars; vel prout est indifferens ut determinetur per rationalitatem vel irrationalitatem, habens in sua potestate rationale et irrationalе, et sic est genus. Istud tamen dictum Avicenne non debet intelligi sic quod corpus quod cum anima constituit animal sit alterum membris illius divisionis, sed corpus quod est genus et est pars; sub alia tamen consideratione est pars et sub alia est genus. Et hec est intentio Avicenne.

Verumtamen de corpore quod cum anima constituit animal sunt opiniones. Quidam dicunt quod corpus quod est pars non dicit compositum ex materia et forma, sed materiam solum - quia tamen materia prima secundum se accepta non meretur nomen corporis, ideo dicunt quod huiusmodi corpus dicit materiam ut habet quemdam modum quantitatis quem acquirit ex eo quod est quantitati coniuncta; <J 58ra> non tamen ita quod tale corpus dicat materiam et quantitatem, sed dicit materiam solum, tamen cum quodam modo quantitativo, qui nullam rem addit supra materiam, licet sit modus realis. Unde dicunt quod corpus quod est pars non est compositum ex his, sed hinc.

Alii dicunt quod corpus quod est altera pars compositi quod ponitur in diffinitione anime dicit materiam et quantitatem. Quoniam vero 'corpus' primo fuit impositum ad significandum quantitatem dimensivam, scilicet ternam dimensionem, et quia quantitas est accidentis commune omnibus substantiis corporalibus, inde est quod forma rerum corporalium in qua omnia corpora habent convenientiam vocata est corporeitas, eo modo quo forme substantiales nominantur nominibus accidentium, que sunt nobis notiora. Unde <G 8a> dicunt quod sicut 'album' significat subiectum et albedinem, sic 'corpus' significat quantitatem et subiectum quantitatis; quantitatem tamen post. Sed ista positio destruit se ipsam, quia si corpus importet materiam cum quantitate, tunc corpus non est pars substantie composite, quia si corpus esset pars substantie composite, et quicquid est pars partis est pars totius, quantitas esset pars substantie composite, et sic substantia componetur ex accidentibus.

Ideo aliter videtur esse dicendum quod, si ponantur plures forme substantiales, corpus quod est pars est quoddam compositum ex materia prima et aliqua forma substantiali imperfecta, puta corporeitate; ita quod corpus quod est pars nominat aggregatum ex materia prima et corporeitate prescindendo omnem aliam formam substantialem. Si tamen ponitur tantum una forma substantialis in substantia composita, tunc oporteret dicere quod corpus quod est pars importat aggregatum ex materia prima et quantitate. Sed tunc dico quod illud corpus non est pars substantie, sed est pars unius aggregati per accidens. Est enim pars aggregati ex substantia, quantitate et qualitate, et sic de aliis. Quod quidem aggregatum est obiectum sensus. Et tunc non est concedendum quod homo sit compositus ex corpore et anima - et hoc si ‘homo’ significet rem per se in genere substantie. Si tamen ‘homo’ accipitur pro aggregato per accidens, sic est dicendum quod homo componitur ex corpore et anima.

Tu dicis quod corpus quod est pars ponitur in diffinitione substantie, ergo non est accidentis. Corpus enim ponitur in diffinitione anime; est enim anima actus corporis etc. Dicendum quod corpus positum in diffinitione anime est corpus quod est genus, quoniam anima est perfectio corporis et compositi ex materia et anima. Nam anima est actus et perfectio hominis. Et ideo corpus positum in diffinitione anime est commune homini et asino et aliis animatis.

Ad aliud argumentum dicitur quod scientia est per se in genere qualitatis tamquam per se species illius generis, sed non est in genere relationis nisi per reductionem, quia illa que sunt per se in genere relationis sunt relationes et non relativa; sed scientia non est relatio, sed relativum; et ideo scientia non est per se in genere relationis, sed per accidens. Nec est inconveniens quod aliquid sit per se in uno genere et per reductionem in alio; immo illa que sunt per se in prima specie qualitatis sunt per accidens in genere relationis. Et ideo dicit Philosophus, V *Physicorum*, quod ad illa que sunt per se in prima specie qualitatis non est motus, quia talia sunt ad aliquid.

Ad aliud dicendum quod rationale dicitur equivoce de homine et de substantia corporea. Vel aliter quod etsi homo et substantia incorporea sic se habeant quod neutrum ponitur sub altero, quia tamen ambo ponuntur sub eodem genere, possunt habere eandem differentiam. Et tunc dicendum est quod Philosophus per ‘genera subalternatim posita’ intelligit talia quorum unum ponitur sub alio vel ambo sub tertio.

## **<De numero et sufficientia predicamentorum>**

In quarto capitulo determinatur de ipsis predicamentis in generali, et ponitur numerus predicamentorum. Et sunt decem predicamenta, nec plura nec pauciora. Quod patet, quia quodlibet predicamentum potest significari per vocem significantem; sed non plura quam decem possunt significari per vocem significantem; ergo non sunt plura quam decem. Et hec videtur esse ratio Philosophi. Maior patet de se. Minorem probat Philosophus inductive, quoniam dictiones simplices significantes simplicem intellectum de necessitate significant unam decem rerum: aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, aut habere, aut facere, aut pati. Nullum illorum decem significatur per affirmationem vel negationem. Quando autem componuntur ad invicem, <J 58rb> tunc fit affirmatio et negatio, ut cum dicimus ‘hec quantitas est quantitas’, et ‘hec substantia non est quantitas’. Similiter, omnis affirmatio vel negatio est vera vel falsa; nullum illorum <G 8b> per se sumptum <P 175va> est verum vel falsum; ergo nullum illorum per se sumptum est affirmatio vel negatio.

Sciendum quod non potest demonstrative probari quod sunt decem predicamenta et non plura neque pauciora. Isto tamen numero, scilicet numero denario predicamentorum, sunt auctores contenti. Aliqui tamen volunt assignare causam quare sunt tota predicamenta et non plura, et dicunt quod predicamentum sumitur a modo predicandi et modus predicandi a modo essendi. Sed duo sunt modi essendi principales, quoniam aliquid est ens per se non inherens alteri et aliquid est ens in alio. Si sit ens per se, sic est substantia; si sit in alio, aut ergo inheret alteri, scilicet substantie, gratia materie aut gratia forme aut gratia compositi. Si gratia materie, hoc tripliciter: aut intrinsece, et sic est quantitas, quoniam quantitas inheret substantie intrinsece, et hoc ratione materie. Si extrinsece sic est ubi, quoniam ubi non inest alicui nisi ex hoc quod habet partes, et non habet partes nisi ratione materie. Aut inheret medio modo, et sic est passio. Si autem inheret ratione forme, hoc potest esse tripliciter: aut intrinsece, et sic est qualitas; aut extrinsece, et sic est quando; aut medio modo, et sic est actio. Si autem inheret substantie ratione compositi, hoc potest esse tripliciter: aut intrinsece, et sic est ad aliquid; aut extrinsece, et sic est habitus; aut medio modo, et sic est positio.

Aliter accipiunt aliqui sufficientiam predicamentorum. Et hoc sic: omne quod est, vel est per se existens vel alteri inherens. Si sit per se existens, sic est substantia. Si sit alteri inherens, aut ergo inheret substantie per aliquid intrinsecum aut per extrinsecum. Si per intrinsecum, aut inheret substantie absolute aut in habitudine ad aliud. Si absolute, aut per rationem materie aut per rationem forme. Si per rationem materie, sic est quantitas; si per rationem forme, sic est qualitas; si in habitudine ad aliud, sic est relatio. Si insit per extrinsecum, illud extrinsecum aut comparatur ad substantiam sicut mensura ad mensuratum, aut sicut agens ad patiens, aut sicut habitus ad illud quod habet

ipsum. Si sicut agens ad patiens, sic resultant duo predicamenta, scilicet actio et passio, quoniam actione agentis in patiens causatur in paciente quidam motus, qui ut est ab agente dicitur actio et ut recipitur in paciente dicitur passio. Si illud extrinsecum comparatur ad substantiam sicut mensura ad mensuratum, cum mensura extrinseca substantie sit duplex, scilicet locus et tempus, locus potest comparari ad substantiam duplicitate: aut absolute, ita quod non sit aliqua alia comparatio, et sic est hoc predicamentum, ubi. Nam ubi causatur in locato a loco, et ubi habet esse subjective in locato, sed locus in locante. Et ideo auctor *Sex principiorum* dicit quod ubi est circumscrip<sup>t</sup>io corporis a circumscriptione loci procedens. Alio modo potest locus comparari ad locatum non absolute sed in habitudine ad partes locati; et sic est positio. Positio enim non est nisi quidam modus essendi causatus in corpore locato ex habitudine quam locus habet ad ipsum et ad partes eius, secundum quod dicimus alia est sedere, alia stare. Aliter enim disponuntur partes quando aliquis sedet et aliter quando aliquis stat; et sic secundum alias differentias positionis. Unde auctor *Sex principiorum* <**P 175vb**> dicit quod positio est quidam partium situs et generationis ordinatio. Si illud extrinsecum comparatur ad substantiam sicut mensura temporalis, sic resultat hoc predicamentum, quando. Quando enim non est nisi quoddam causatum in re temporali ex habitudine quam habet ad tempus. Et hoc vult auctor *Sex principiorum*, qui dicit: “Quando est quod derelinquitur ex adiacentia <**G 9a**> temporis in re temporali”, secundum quod dicimus aliquid esse unius diei vel unius anni. Si autem comparatur sicut res habita ad illud quod habet ipsam, sic est predicamentum habitus. Habitus enim est una habitudo que causatur in homine vestito ex ueste quam habet. Et hoc vult auctor *Sex principiorum*, qui dicit quod habitus est corporum et eorum que circa corpus sunt adiacentia, ita quod habitus consistit <**J 58va**> in quadam applicatione eorum que circa corpus sunt ad corpus. Et predicamentum habitus non invenimus in animalibus aliis ab homine. Istis modis sumunt omnes sufficientiam predicamentorum, sed solum affirmant et non probant.

Intelligendum est quod sex predicamenta, scilicet actio, passio, ubi, quando, positio, habitus, sunt nobis multum ignota. Quidam enim dicunt quod illa sex predicamenta non sunt nisi respectus, et non sunt res absolute. Unde dicunt quod duo sunt modi essendi principales. Unus est modus essendi secundum se et absolute, alius est modus essendi in ordine ad aliud. Primus modus essendi convenit tribus predicamentis absolutis, scilicet substantie, qualitati et quantitati; sed modus essendi in ordine ad aliud convenit aliis septem predicamentis. Adhuc modus essendi secundum se et absolute est duplex, quia aut est modus essendi secundum se et in se, et sic est communis substantie, sed non competit aliis predicamentis, et ille est modus proprius predicamento substantie; alius est modus essendi secundum se sed in alio, et est modus proprius duorum accidentium, scilicet quantitatis et qualitatis. Et ille modus non competit aliis predicamentis, sed modus essendi in ordine ad a-

liud competit aliis septem predicamentis, ita quod alia predicamenta non sunt nisi respectus vel modi reales predicamentorum absolutorum.

Et si dicatur quod, si hoc esset verum, omnia alia predicamenta essent relationes, et sic non esset nisi unum predicamentum respectivum, quia omnia respectiva et omnis respectus pertinent ad idem predicamentum, ad illud dicunt quod illa sex predicamenta respectiva que non sunt relationes seu habitudines relative important respectum ad aliquid a quo causantur. Unde sunt respectus solum quibus subiecta sua habent ordinem ad aliud ut ad subiectum; ista autem sex predicamenta talium respectuum non solum suis respectibus illa subiecta respiciunt et ordinem habent ad illa, sed etiam ab illis causantur quodammodo in suis subiectis, non solum a suis fundamentis, que habent in ipsis subiectis. Ut predicamentum quando in re temporali dicit respectum ad tempus et a tempore habet in re illa causari, et hoc quia non convenit ei predicamentum quando nisi ab hoc quod habet esse in tempore. Similiter predicamentum ubi, quod in locato dicit respectum ad locum simpliciter, a loco habet in isto causari, et hoc quia non convenit illi nisi ex hoc quod habet esse in loco. Et etiam predicamentum situs, quod in locato dicit respectum ad ordinem partium in loco, a loco, ut ipse habet in se partes ordinatas, habet causari in locato, quia hoc non convenit locato, scilicet situs, quod est ordo partium in toto, nisi in respectu ad ordinem partium loci, <**P 176ra**> et ex hoc quod partes ordinatae locati habent esse in partibus ordinatis loci. Predicamentum etiam habitus, quod in habente dicit respectum ad illud quod habetur, ab eo quod habetur habet causari in habente, quia non convenit habenti hoc predicamentum, habitus, nisi ab hoc quod habens circumdatur eo quod habetur. Et sic patet qualiter illa predicamenta important respectum ad alia a quibus causantur. Similiter est de actione et passione. Sed respectus de genere relationis non ordinant sua subiecta ad alia a quibus causantur, quia relativa sunt simul et neutrum illorum est causa alterius <**G 9b**> ut sit, licet sit causa sine qua non. Unde breviter, respectus relationis differt a respectibus aliorum predicamentorum, quia respectus relationis non ordinant suum subiectum ad aliquid extrinsecum a quo causantur, sed respectus aliorum predicamentorum ordinant sua subiecta ad extrinseca a quibus causantur. Propter quod illa sex predicamenta, quia causalitatem suam ut sint in subiecto ab extrinseco habent, ideo illa accidentia dicuntur accidentia ab extrinseco advenientia; predicamentum autem relationis, quia causalitatem non habet ut sit in subiecto nisi ab eo quod est in ipso subiecto, ideo predicamentum relationis dicitur esse accidens intrinsece adveniens.

Contra illud arguitur: non videtur quod unum predicamentum posset causari ab alio, quia per Boethium decem predicamenta sunt decem principia prima; sed primo nihil est prius; res ergo unius predicamenti non est prior re alterius predicamenti; ergo res unius predicamenti non causatur a re alterius predicamenti.

Ad illud dicendum quod duplex est ordo: quidam est ordo secundum sub et supra, et aliis est ordo secundum prius et posterius, seu secundum primum et secundum. Secundum primum ordinem non sunt diversa predicamenta ad invicem ordinata. Non enim ordinantur diversa predicamenta secundum sub et supra; sed talis ordo reperitur inter res unius predicamenti; et in tali ordine quodlibet <**J 58vb**> genus generalissimum est primum. Verumtamen diversa predicamenta ordinantur ad invicem secundum prius et posterius, quia aliquod predicamentum est prius et aliquod posterius. Nam predicamenta absoluta sunt priora et perfectiora quam predicamenta respectiva; et adhuc inter predicamenta absoluta substantia est primum. Unde decem predicamenta dicuntur decem prima genera non aspicio ad ordinem eorum inter se, sed solummodo aspicio ad ordinem contentorum in qualibet linea predicamentali. Et propter istum ordinem secundum prius et posterius qui est inter predicamenta potest res unius predicamenti causari a re alterius, et res unius predicamenti fundari in re alterius.

Aliter tamen posset dici de predicamentis quod nullum predicamentum importat solum respectum preter relationem. Unde illa sex predicamenta extrinsecus advenientia important rem absolutam; istam tamen rem concomitatur relatio. Unde de ipso quando dicit Simplicius sic: “Est enim quando cum aliqua res, altera existente in tempore et non ut pars temporis [est] accepta, habitudinem habeat ad tempus; et propter hoc in tempore est”. Res enim temporalis cuilibet tempori est subiecta sicut sue mensure. Mensura enim motus mensurat rem mobilem; res enim qua temporalis habet, ex hoc quod sic est mensurata, scilicet a tempore, preter relationem que est in hoc quod est esse mensuratum, aliquid absolutum, quia omne mensuratum secundum suum esse dependet a mensura. Et istud est essentia ipsius quando, et est illud quod derelinquitur ex adiacentia temporis. Et relatio seu habitudo concomitatur illud adiacens ex tempore ipsius rei, et est quid absolutum. Et sic patet quod ipsum quando est quid absolutum; habet tamen relationem concomitantem. Idem vult Simplicius <**P 176rb**> de ubi et de aliis predicamentis. Dicit enim quod ubi est esse in loco; sed etsi ‘esse in loco’ sit vox composita, tamen ex ea oportet simplex intelligi. Unde ubi nec est locus nec locatum, sed est quid absolutum causatum in locato ex circumscriptione corporis; sed illud absolutum concomitatur relatio seu habitudo ad locum. Idem dicit de positione et habitu.

Intelligendum est quod cum dicitur: “Singulum incomplexorum aut significat substantiam” etc., istud debet intelligi de incomplexis significantibus rem per se in genere seu rem predicamentalem. Nam ‘chimera’ est incomplexum, et ‘ens’, et hoc nomen ‘dominic’us’, et sic de multis aliis, sed illa incomplexa <**G 10a**> non significant rem predicamentalem, et ideo nec significant substantiam, nec qualitatem etc.

## **<De substantia>**

### **<De natura substantie>**

**Substantia autem est que proprie et principaliter et maxime.**

Hec est secunda pars huius libri et continet quinque capitula. In primo capitulo determinat de substantia; in secundo de quantitate; in tertio de relatione; in quarto de qualitate; in quinto de aliis predicamentis simul.

Circa primum oportet videre que sunt in hoc predicamento et quid requiritur ad hoc quod aliquid sit in hoc predicamento. Ad cuius intellectum sciendum quod ad predicamentum substantie requiruntur duo, scilicet res et modus essendi superadditus illi rei. Et ista duo requiruntur in quolibet predicamento, quoniam diversa predicamenta distinguuntur ad invicem per diversos modos essendi. Unde diversitas essentiarum solum non sufficit ad hoc quod aliqua sint in diversis predicamentis, quia in eodem predicamento sunt res diverse essentialiter differentes; sed omnes res eiusdem predicamenti habent eundem modum essendi; et si aliquae res habeant modos essendi primo diversos, ille res sunt in diversis predicamentis. Unde modus essendi in predicamento est formalior quam ipsa res. Unde dico quod aliquid reponitur in predicamento substantie per hoc quod est res aliqua et natura cui debetur talis modus essendi, qui est subsistere in se ipso et substare accidentibus. Unde modus essendi substantie constituitur ex duobus, scilicet ex hoc quod subsistit in se ipso, sic quod non dependet ab alio, et per hoc quod substatur aliis, puta accidentibus.

Per hoc patet quod Deus non est in predicamento substantie. Nam etsi Deus verissime subsistat in se ipso et a nullo omnino dependeat, quia tamen non substatur accidentibus, ideo non est in hoc predicamento, quia ad hoc quod aliquid sit in predicamento substantie requiruntur hec duo, quod subsistat in se ipso et quod substetur accidentibus. Similiter materia et forma, que sunt partes substantie composite, non sunt per se in hoc predicamento, quia non subsistunt in se ipsis nec possunt habere esse separatum a composito. Sunt tamen in hoc predicamento per reductionem. Nam ex hoc quod compositum est per se in genere partes essentiales compositi pertinent ad illud genus; et sic sunt in illo genere per aliud, ut per compositum; et sic per reductionem.

Tu dicis: genus generalissimum predicatur de Deo et de materia et forma. Nam hec est vera ‘Deus est substantia’, et hec similiter ‘materia est substantia et forma est substantia’.

Ad istud dicendum quod hoc nomen ‘substantia’ equivoce <P 176va> predicatur de prima causa et de aliis, et adhuc predicatur equivoce de his que sunt per se in genere et de principiis generis. Et ideo tales sunt distinguende ‘Deus est substantia’, ‘materia est substantia’, et sic de aliis. Si enim substantia que est genus generalissimum predicatur de substantiis simplicibus, ut de materia et

forma, alia species eius predicaretur de illis; et sic alia species de genere substantie vere inesset principiis de genere substantie. Similiter, substantia que est genus generalissimum non vere predicitur de prima causa, quia sic prima causa esset in genere substantie; sed illud quod est in aliquo genere limitatur ad illud genus; sed prima causa non limitatur ad rem alicuius generis. Similiter, illud quod est in genere est tale quod non repugnat sibi quod sit aliud tale, et hoc propter convenientiam quam res unius predicamenti habent ad invicem; sed primo repugnat quod sit aliud primum; et ideo primum non est in aliquo genere.

Sed dubitatur de intelligentiis, an sint in genere substantie. Probatur quod non, quia corruptibile et incorruptibile plus differunt quam genere, ut habetur X *Metaphysice*; sed substantie corruptibles sunt in genere substantie; ergo substantie incorruptibles non sunt <**R 3rb**> in genere substantie, cuiusmodi sunt intelligentie. Preterea, per Boe-thium, cum triplex sit substantia, scilicet materia, et forma, et substantia composita, relictis extremis Aristoteles egit de <**G 10b**> medio, scilicet de substantia composita. Ex hoc arguo sic: substantia que est genus est substantia composita; sed substantia composita non predicitur de intelligentia, que est substantia simplex; ergo intelligentia non est in genere substantie. Similiter hic arguitur sic: substantia que est genus aut est simplex aut composita; si sit simplex, ergo non predicitur de substantia composita - quod falsum est. Ergo est composita; ergo non predicitur de intelligentia; ergo intelligentia non est in genere substantie. Preterea, omne quod est in genere est compositum ex genere et differentia; sed intelligentia, cum sit omnino simplex non est composita ex genere et differentia. Ergo etc.

Dicendum quod intelligentia est per se in genere substantie, quia est res et natura cui competit in se subsistere et alteri substare; et iste est modus essendi reponens aliquid in genere substantie. Unde ab homine et ab intelligentiis potest abstrahi una intentio communis, quia intellectus utrique potest attribuere unum modum essendi, scilicet in se et non in alio; et sic intelligentia est in genere, sicut species generis.

Ad primum argumentum dicendum, cum dicitur corruptibile et incorruptibile plus differunt quam genere, dicendum quod duplex est genus, scilicet genus subiectum et genus predicable, vel sub aliis verbis: duplex est genus, scilicet genus naturale et genus logicum. Et idem sunt genus naturale et genus subiectum; et genus predicable et genus logicum sunt etiam idem. Genus naturale est aliquid indeterminatum secundum rem, quod natum est perfici per diversas formas. Primo per formam incompletam, deinde per formam magis completam. Et tale genus dicitur materia. Unde Commentator, II *Metaphysice*, super illud Philosophi, “in fundamento nature nihil est distinctum”, dicit quod materia non habet aliquam formam in <**P 176vb**> actu; sed primo recipit formas magis perfectas deinde recipit formas minus perfectas. Et hoc ordine nature non ordine temporis. Unde materia prima et alie potentie susceptive sunt genera naturalia. Et ideo forme que nate sunt recipi in

eodem susceptivo sunt in eodem genere naturali. Et isto modo est verum quod dicitur: “corruptibile et incorruptibile differunt genere”, id est: differunt genere naturali, quia non habent fieri circa idem susceptivum. Genus logicum est genus predicable de rebus convenientibus in uno modo essendi primo; et quia intelligentia et substantie corruptibiles convenient in uno modo essendi primo, ideo sunt in eodem genere logico. Unde intelligendum quod quedam sunt in eodem genere logico que tamen non sunt in eodem genere naturali, sicut intelligentia et homo, et etiam forma celi et forma corporum corruptibilium, et quedam sunt in diversis generibus logicis que possunt esse in eodem genere naturali, quia que differunt genere logico possunt suscipi in eodem susceptivo.

Pro secundo arguento est intelligendum quod substantia que est genus generalissimum non est composita ex materia et forma; est tamen composita, quia includit ens et aliquid aliud. Unde dico quod aliquid esse simplex potest esse dupliciter, vel quia precludit compositionem ex materia et forma – et sic forma est simplex et punctus isto modo est simplex –, alio modo dicitur aliquid esse simplex quia non includit compositionem ex materia et forma, nec tamen precludit compositionem que est ex materia et forma - et illo modo est substantia simplex, quia non includit compositionem ex materia et forma nec tamen excludit talem compositionem, sed est unum indifferens ad substantias compositas ex materia et forma et etiam ad substantias simplices.

Et cum dicitur quod si substantia <**J 59rb, R 3va**> que est genus sit simplex, ergo non predicatur de substantia composita, dico quod illud quod sic est simplex quod non includit compositionem nec precludit compositionem potest vere inesse substantie composite, quia tale est commune ad substantiam simplicem et ad substantiam compositam. Unde substantia simplex supponens <**G 11a**> pro substantia composita potest vere predicari de substantia composita. Unde si queratur an substantia que est genus sit simplex vel composita, dico quod aliquo modo est composita, quia est composita ex re et modo essendi; non tamen est composita ex materia et forma.

Ad Boethium dicendum, cum dicit: “Relictis extremis, scilicet materia et forma” etc., dicendum quod per ‘formam’ non intelligit formam generabilem et corruptibilem, sed per ‘formam’ intelligit formam primam, que est Deus, et per ‘materiam’ intelligit materiam primam; et inter illa duo substantia que est genus est medium, quia est perfectior quam materia prima et imperfectior quam Deus.

Ad tertium dicendum quod intelligentia est composita ex genere et differentia, non ex materia et forma. Nec dicitur intelligentia simplex quia in ea nulla fit compositio, sed dicitur simplex prout simplicitas opponitur compositioni ex materia et forma.

Sed tu dicis: genus sumitur a materia et differentia a forma, ergo, si intelligentia sit composita ex genere et differentia, in ea erit compositio ex materia et forma. Ad illud dicendum quod illud dictum <**P 177ra**> est falsum: “genus sumitur a materia”, quia genus inest rei cuius est genus ratio-

ne illius rei. Genus tamen habet modum materie et differentia modum forme, quia sicut materia est in potentia ad formam et determinatur a forma, sic genus est in potentia ad differentiam et determinatur per differentiam. Et propter istud dicitur quod genus sumitur a materia et differentia a forma.

Sed dubium est, ex quo intelligentia est actus purus, qualiter in ea est aliquid potentiale et qualiter in ea potest esse ratio generis.

Dicendum est quod una species super aliam aliquem gradum perfectionis addit, respectu cuius alia species carens tali gradu quandam imperfectionem et potentialitatem habet. Ratio ergo determinate speciei quam complet differentia consistit in hoc quod species determinatum gradum entitatis habet; ratio vero generis competit speciei ex hoc quod in natura sua est quiddam imperfectum propter limitationem sue entitatis. Et sicut est recedens ab actualitate prima, respectu illius quandam potentialitatem includit; sicut respectu imperfectioris includit actualitatem. Unde intelligentia in hoc quod recedit ab actualitate primi includit imperfectionem et potentialitatem; propter quod *<in>* intelligentia reperitur ratio generis.

Descendendo ad dicta in littera sciendum quod primo ponuntur divisiones et diffinitiones et postea conclusiones. Substantia sic dividitur: alia est substantia prima, alia secunda. Substantia prima diffinitur sic: substantia prima est substantia que neque est in subiecto neque de subiecto dicitur. Sed substantia secunda est commune quod predicitur de substantia prima in eo quod quid. Et sic individua de genere substantie sunt substantie prime; genera et species sunt secunde substantie. Alia tamen est divisio substantie, quod substantiarum alia est corporea, alia incorporea. Sed istam divisionem non ponit hic Philosophus, quia hec divisio non pertinet ad logicum. Sed aliam divisionem ponit, quod quedam est substantia prima et quedam secunda, quia non determinat hic de substantia nisi quantum ad ordinem secundum sub et supra et quantum ad actum susbtandi. Nunc autem iste differentie, prima et secunda, diversificant substantiam quantum ad **R 3va** ordinem secundum sub et supra, et ideo istam divisionem posuit hic Philosophus. Et respiciendo quantum ad actum substandi est ista divisio analogi in analogata, quia actus substandi per prius competit substantie prime quam secunde. Quantum tamen ad actum subsistendi, est ista divisio univoci in univocata, quia actus subsistendi convenit univoce substantie prime et substantie secunde. Substantia enim que est genus predicitur univoce de substantiis primis et de substantiis secundis.

Sed dubitatur: non videtur quod substantia dividatur in substantiam primam et secundam, quia hec et falsa ‘substantia secunda est substantia’, quia hec est vera ‘nulla substantia est substantia secunda’, quia nulla substantia corporea est substantia secunda; similiter nulla substantia incorporea est substantia secunda; ergo nulla substantia est substantia secunda.

Ad istud dicendum quod hec est vera ‘substantia secunda est substantia’, secundum quod predicatum habet suppositionem simplicem specialem. Pro quo sciendum quod quando terminus generalis habens sub se species et individua supponit simpliciter, talis propositio est distinguenda ex hoc quod ille terminus generalis <P 177rb> potest habere suppositionem simplicem generalem vel suppositionem simplicem specialem. Quando habet suppositionem <G 11b> simplicem generalem, tunc supponit pro suo significato absolute, sic quod non pro <J 59va> aliquo inferiori; sed quando supponit simpliciter specialiter, supponit pro speciebus et non pro individuis. Et sic dico quod hec est vera ‘substantia est substantia secunda’, secundum quod subiectum habet suppositionem simplicem specialem. Et ita bene stant simul ‘substantia est substantia secunda’ et ‘nulla substantia est substantia secunda’.

Prima conclusio huius capituli est ista, quod illud quod dicitur de prima substantia et non est in subiecto predicatur de prima substantia secundum nomen et secundum diffinitionem. Et sic species et genera de genere substantie predicantur de prima substantia.

Ista conclusio probatur ex precedentibus, quia quando alterum de altero predicatur quicquid predicator de predicato predicator de subiecto; sed secunde substantie predicantur de primis; et diffinitiones secundarum substantiarum predicantur de substantiis secundis; ergo diffinitiones secundarum substantiarum predicantur de primis. Et cum substantie secunde dicuntur de subiecto et non sunt in subiecto, patet quod illa que dicuntur de subiecto et non sunt in subiecto predicantur de subiecto secundum nomen et secundum diffinitionem; illa tamen que sunt in subiecto, quedam predicantur de subiecto secundum nomen et non secundum diffinitionem, ut accidentia in concreto, et quedam non predicantur de subiecto nec secundum nomen, nec secundum diffinitionem, ut accidentia in abstracto.

Sed contra: de quocumque predicatur diffinitum, de eodem predicatur diffinitio; si ergo accidens in concreto predicatur de subiecto secundum nomen, predicabitur de subiecto secundum diffinitionem nominis. Et confirmatur, quoniam si hec sit vera ‘corpus est album’, hec erit vera ‘corpus est coloratum disaggregativum visus’; et ita sicut nomen predicatur, sic et diffinitio nominis.

Dicendum quod, si nomen predicatur vel si aliquid predicatur secundum nomen de subiecto, et illud habeat diffinitionem, diffinitio sua predicabitur de subiecto. Sed accidens in concreto non habet diffinitionem, quia ‘album’ significat aggregatum ex subiecto et albedine, et sic significat aggregatum per accidens, quod non habet diffinitionem. Dicit ergo Philosophus quod accidentia in concreto predicantur de subiecto secundum nomen et non secundum diffinitionem, quia diffinitionem non habent.

Vel aliter et melius quod, quia album et talia concreta descriptionem habent, ideo et nomen et ratio nominis dicitur de subiecto. Album tamen non dicitur de subiecto secundum rationem

nominis. Aliud enim est rationem dici de subiecto et aliud est dici de subiecto secundum rationem. Illud enim dicitur de subiecto secundum rationem quod indicat essentiam subiecti; et quia accidentia non indicant essentiam subiecti, ideo non dicuntur de subiecto secundum rationem. Ratio tamen albi dicitur de subiecto, sed non secundum rationem, quia ratio accidentis non indicat essentiam substantie. Sed predicatum essentiale dicitur de subiecto secundum nomen et secundum rationem, quia eius ratio dicit essentiam eius de quo predicatur.

Vel potest dici quod ratio albi non predicatur de subiecto tamquam indicans essentiam eius de quo predicatur. Et hoc intelligit Philosophus. Unde potest dici quod non semper est predicatione univoca quando predicatum predicatur de subiecto et etiam ratio predicatorum, nisi predicatum vel ratio predicatorum indicet essentiam <**R 4ra**> subiecti. Et ideo hec non est predicatione univoca ‘album est homo’, quamvis homo predicetur de albo secundum nomen et secundum diffinitionem.

Secunda conclusio huius capituli est ista: omnia alia a primis substantiis <**P 177va**> aut sunt in primis substantiis aut dicuntur de primis substantiis. Et hec conclusio probatur sic: nam omnia alia a primis substantiis aut sunt secunde substantie aut accidentia; sed omnes secunde substantie dicuntur de primis substantiis et omnia accidentia sunt in primis; ergo omnia alia a primis substantiis aut sunt in primis aut dicuntur de primis substantiis. Quod autem secunde substantie dicantur de primis et quod accidentia sint in primis patet, quia si animal predicetur de homine, ergo de aliquo homine; similiter si color sit in corpore, ergo in aliquo corpore. Ergo etc.

Tertia conclusio est ista: destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere. Hoc enim est: impossibile, quod aliquid aliud a prima substantia sit nulla prima substantia existente. Et hec conclusio corelarie sequitur ex illa que immediate precessit. Nam, si omnia alia a primis substantiis aut sunt in primis aut dicuntur de primis, cum desctructis primis substantiis destruuntur omnia que sunt in primis substantiis et omnia que dicuntur de primis substantiis, sequitur quod destructis primis substantiis omnia alia destruuntur.

Notandum quod hec conclusio habet veritatem ex his duobus, quia universalia non habent esse nisi in singularibus, et similiter accidentia non habent esse nisi in subiectis; <**J 59vb**> si ergo destruantur prime substantie, cum secunde substantie non habent esse separatum a primis, sequitur quod secunde substantie <**G 12a**> destruuntur. Et sic, si prime substantie non sunt, nec substantie secunde sunt; et ita nullum subiectum alicuius accidentis est. Et per consequens nullum accidens est, quia accidens non est nisi in subiecto. Ergo destructis primis substantiis destruuntur omnia alia, scilicet tam secunde substantie quam accidentia.

Si arguitur contra: secunde substantie sunt incorruptibles et prime substantie corruptibles; sed ad destructionem corruptibilis non sequitur destructio incorruptibilis; ergo etc., dicendum quod, quamvis secunde substantie sint incorruptibles, tamen non habent incorruptibile et perpetuum esse,

nisi ex hoc quod habent esse successive in primis substantiis, que sunt corruptibles. Et ideo, si ad destructionem unius corruptibilis non sequitur destructio incorruptibilis, tamen ad destructionem omnium corruptibilium bene sequitur destructio incorruptibilium.

Quarta conclusio est de comparatione secundarum substantiarum inter se. Et est hec conclusio, quod substantia secunda que est species magis est substantia quam genus. Et hec conclusio probatur dupliciter. Primo sic: illud est magis substantia et prius substantia quod est propinquius prime substantie. Et hoc patet per diffinitionem prioris, quoniam illud est prius quod est primo propinquius. Sed species est propinquior prime substantie quam genus. Ergo species est magis substantia quam genus. Minor probatur, quia illud est propinquius prime substantie per quod convenientius respondet ad questionem factam per quid est de prima substantia. Sed convenientius respondet per speciem quam per genus. Ergo species est propinquior prime substantie quam genus. Quod autem convenientius respondet per speciem quam per genus patet. Nam si queratur quid est Sortes convenientius respondet dicendo ‘Sortes est homo’ quam ‘Sortes est animal’. Et huius ratio est ista, quoniam illa responsio <P 177vb> est convenientior que magis certificat querentem; sed responsio per speciem magis certificat quam responsio per genus.

Secundo probatur conclusio sic: propter hoc prima substantia dicitur maxime substantia quia omnibus aliis substatis. Illud ergo quod pluribus substatis magis debet dici substantia. Sed species pluribus substatis quam genus, quia species substatis generibus et accidentibus, et genera substantis accidentibus solum. Species ergo est magis substantia quam genus, quia pluribus substatis.

Notandum quod substantia secundum illud quod est non suscipit magis et minus, sed solum quantum ad actum substandi. Et ideo quando Philosophus dicit speciem esse magis substantiam quam genus, intelligit hoc quantum ad actum substandi, non <R 4rb> quantum ad essentiam substantie.

Quinta conclusio est de comparatione secundarum substantiarum que sunt species inter se. Et est hec conclusio, quod nulla species specialissima est magis substantia quam alia. Et probatur sic: omnis substantia secunda que magis est substantia quam alia magis indicat primam substantiam quam alia; sed nulla species specialissima magis indicat primam substantiam quam alia; ergo nulla species specialissima est magis substantia quam alia. Minor patet: nam si queratur de aliquo homine quid est, non convenientius respondet dicendo quod est homo quam, si queratur de aliqua arbore, dicendo quod est arbor. Ideo nulla species specialissima magis indicat primam substantiam quam alia.

Sciendum quod una species specialissima de genere substantie est perfectior quam alia, ut homo est perfectior quam musca; tamen homo non est magis substantia quam musca, quia non magis proprie nec pluribus substatis homo quam musca. Unde aliqua possunt comparari in uno secun-

dum magis et minus, et tamen in alio esse equalia, ut si Sortes et Plato equaliter sunt albi, et tamen Sortes sit sapientior Platone, Sortes et Plato comparantur in sapientia secundum magis et minus, quia Sortes est sapientior Platone, sed non comparantur in albedine secundum magis et minus, quia sunt equaliter albi. Sic homo et musca comparantur in ente secundum magis et minus, quia homo est magis ens quam musca, sed homo et musca non comparantur in substantia secundum magis et minus, sed sunt equaliter substantie.

Sexta conclusio est de <G 12b> comparatione primarum substantiarum inter se. Et est hec conclusio, quod nulla prima substantia est magis substantia quam alia. Et probatur sic: illa substantia que magis est substantia quam alia pluribus substata quam alia; sed nulla prima substantia pluribus substata quam alia; ergo nulla prima substantia est magis substantia quam alia. Minor patet: nam sicut aliquis homo substata speciebus, generibus et accidentibus, sic et aliquis bos.

Et quia prius est suppositum quod solum genera et species sunt secunde substantie, istud probatur sic – et est conclusio septima: illa que predicanter de primis substantiis in eo quod quid, et solum illa, sunt secunde substantie; sed genera et species que sunt secunde substantie predicanter de primis substantiis in eo quod quid, et solum illa; ergo solum genera et species de genere substantie sunt secunde substantie. Quod autem solum genera et species de genere substantie predicentur in eo quod quid de prima substantia patet, quia solum per illa convenienter respondetur ad questionem factam per quid est de prima substantia. Nam si queratur quid est Sortes convenienter respondetur quod est homo vel quod est animal, et si per aliquid aliud respondetur, erit responsio inconveniens, ut si dicatur quod est albus vel quod currit.

Aliter probatur conclusio sic: solum illa dicuntur secunde substantie que post primas substantias <P 178ra> aliis; sed solum genera et species de genere substantie post primas substantias substantias aliis; ergo solum genera et species de genere substantie sunt secunde substantie.

## <De proprietatibus substantie>

Sciendum quod sex sunt proprietates substantie. Prima proprietas est <J 60ra> quod commune est omni substantie in subiecto non esse. Et est octava conclusio huius capituli. Et probatur sic: commune est omni prime substantie non esse in subiecto, et etiam commune est omni secunde substantie non esse in subiecto; ergo commune est omni substantie non esse in subiecto.

Antecedens probatur quo ad utramque partem. Quod omni prime substantie convenit non esse in subiecto patet per diffinitionem prime substantie, quoniam prima substantia est substantia que nec est in subiecto nec dicitur de subiecto. Et quod omni secunde substantie conveniat non esse in subiecto probatur sic: nihil quod est in subiecto predicatur de prima substantia secundum nomen et

secundum diffinitionem, ut patet ex precedentibus, quia de numero eorum que sunt in subiecto quædam predicanter de subiecto secundum nomen solum et quedam nec predicanter de subiecto secundum nomen nec secundum diffinitionem nominis. Sed omnis secunda substantia predicator de prima secundum nomen et secundum diffinitionem. Ergo nulla substantia secunda est in subiecto. Ergo omni substantie secunde convenit non esse in subiecto.

Hec proprietas non solum convenit substantie, sed etiam differentiis, <**R 4va**> quia differentie predicanter de prima substantia secundum nomen et secundum diffinitionem nominis; ergo eis competit non esse in subiecto.

Intelligendum est **hic** quod differentia non est directe in genere, est tamen substantia. Et ideo cum dicitur quod aliis a substantia convenit non esse in subiecto, ut differentie, hoc habet sic intelligi: aliis a substantia que est directe in genere convenit non esse in subiecto. Nam etsi differentia non sit alia a substantia, est tamen alia a substantia que est directe in genere.

Intelligendum etiam quod cum dicitur quod differentia predicator secundum nomen et secundum diffinitionem, hoc non est intelligendum sic quod differentia habeat veram diffinitionem, quia vera diffinitio constituitur ex genere et differentia, et ideo si differentia haberet veram diffinitionem, differentia haberet differentiam, et ista aliam, et sic in infinitum. Et ideo cum dicitur differentiam predicator secundum diffinitionem, hoc habet intelligi quod differentia predicator secundum notificationem seu descriptionem, non autem secundum veram diffinitionem.

Sciendum quod hec est conclusio nona, quod differentia non est in subiecto. Et probatur sic: differentia predicator de prima substantia secundum nomen et secundum diffinitionem nominis; ergo differentia non est in subiecto.

Secunda proprietas est quod secundis substantiis et differentiis convenit univoce predicator de prima substantia. Et hec est conclusio decima. Et probatur sic: quecumque predicanter de prima substantia secundum nomen et secundum diffinitionem nominis, predicanter de prima substantia univoce; sed tam secunde substantie quam differentie predicanter de prima substantia secundum nomen et secundum diffinitionem nominis; ergo secunde substantie et differentie predicanter univoce de prima substantia. Hec proprietas non convenit prime substantie, quia prima substantia non predicator proprie, quia in predicatione propria predicator superius de inferiori.

Tertia proprietas est significare hoc aliquid. Omnis enim substantia videtur hoc aliquid significare. Hec proprietas convenit primis substantiis, quia omnis prima substantia significat hoc aliquid, sed non convenit substantiis secundis, quoniam secunda substantia significat quale quid et non significat hoc aliquid, sed videtur significare hoc aliquid sub figura appellationis.

Intelligendum est hic quod, cum dicitur primam substantiam significare hoc aliquid, hoc debet intelligi de nomine prime substantie. Nomen enim prime substantie significat hoc <**P 178rb**>

aliquid, et prima substantia est hoc aliquid. Similiter, cum dicitur secundam substantiam significare quale quid, hoc debet intelligi de nomine secunde substantie.

Intelligendum est etiam quod significare hoc aliquid est significare singulare et unum numero. Et hoc habetur ex nomine, quia significare hoc aliquid est significare aliquid hoc, hoc est: aliquid demonstratum ad sensum. Et hoc habetur per hoc pronomen demonstrativum ‘hoc’. Sed significare quale quid est significare substantiam de pluribus predicabilem; nam significare quale quid est significare quid quale, id est: quid commune. Unde secunde substantie qualitatem determinant circa primam substantiam, et hoc quia constituunt intellectum surgentem de substantia tali, ut animal de substantia animata sensibili. Et ideo dicit Philosophus quod maior determinatio est in genere quam in specie, quia genus determinat qualitatem circa plures substantias quam species et predicator in quid de pluribus substantiis quam species.

Sed dubium est qualiter est maior determinatio in genere quam in specie, cum genus sit communius quam species, et per consequens magis est indeterminatum. Ad istud dicendum quod aliquid esse magis determinatum est duplamente, vel quia est specialius, vel quia plura determinat. Primo modo est species magis determinata quam genus, quia specialiorem intellectum habet. Secundo modo est genus magis determinatum quam species, quia genus plura determinat, et per genus potest convenienter responderi ad questionem factam per ‘quid est’ de pluribus quam per speciem, quia de pluribus predicator genus in eo quod quid quam species.

Verumtamen etsi substantia secunda significet quale quid, non tamen sicut album, quia album non determinat primam substantiam, nec per ‘album’ convenienter respondetur ad questionem factam per ‘quid est’ de prima substantia, quia ‘album’ non significat substantiam principaliter, sed significat solam qualitatem, ut dicit Philosophus, non sic intelligendo quod nihil includitur in significato ‘albi’ nisi qualitas, ‘sed’ album significat aggregatum ex subiecto et qualitate, principale tamen in suo significato est qualitas. Et ideo ‘album’ significat solam qualitatem tamquam principale in suo significato.

Dubitatio est qualiter figura appellationis est causa quare secunde substantie videntur significare hoc <J 60rb> aliquid <R 4vb>. Dicendum quod hoc est quia tam nomen prime substantie quam secunde substantie est vox singularis, unde ita singularis vox est hec vox ‘homo’ sicut hec vox ‘Sortes’, quia habent elementa propria et sensibilia. Ex elementis enim adeo sensibilibus et propriis componitur hoc nomen ‘homo’ sicut hoc nomen ‘Sortes’; et non sunt elementa propria correspondentia nominibus propriis et communia communibus, sed utriusque eadem et eiusdem generis. Et ideo quia nomen prime substantie, que est vox singularis, significat hoc aliquid, et nomen secunde substantie est etiam vox singularis, ideo videtur quod nomen secunde substantie significet hoc aliquid propter similitudinem vocis et sic sub figura appellationis.

Vel aliter: nomen secunde substantie significat secundam substantiam et appellat primam; et hoc sub eadem figura vocis. Et ut appellat primam substantiam appellat hoc aliquid. Ideo, quia sub eadem voce significat secundam substantiam et appellat primam, propter figuram vocis videtur quod ut significat secundam substantiam significat hoc aliquid. Et sic nomen secunde substantie videtur significare hoc aliquid sub figura appellationis. <**P 178va**>

Quarta proprietas est ista: substantie nihil est contrarium. Et hec est undecima conclusio: nulli substantie est aliquid contrarium. Et probatur sic: nulli substantie prime est aliquid contrarium, nulli substantie secunde est aliquid contrarium; omnis substantia est prima vel secunda; ergo nulli substantie est aliquid contrarium. Hec proprietas non solum inest substantie, sed etiam quantitati, quia bicubito nihil est contrarium, nec tricubito; nisi aliquis dicat magnum contrariari parvo. Sed magnum et parvum <**G 13b**> non sunt quantitates determinate, sed si sunt quantitates, sunt quantitates indeterminate. Nunc hec proprietas, que est non habere contrarium, indubitabiliter inest omni quantitati determinate, cuiusmodi sunt bicubitum et tricubitum, que important quantitatem sub certo termino.

Contra illam proprietatem arguitur per Philosophum, I *Physicorum*, “prima contraria sunt primi generis”; substantia est primum genus; ergo in genere substantie sunt prima contraria; sed in genere substantie non sunt nisi substantie; ergo substantie sunt sibi invicem contrarie. Preterea, nihil corrumpitur nisi per suum contrarium; substantia corrumpitur; ergo habet contrarium. Preterea, Philosophus dicit, II *De generatione*, quod ignis contrariatur aquae; et cum ignis et aqua sunt substantie, ergo substantia contrariatur substantie.

Dicendum quod quamvis contraria multis modis dicantur, ut patet ex V *Metaphysice*, tamen quo ad propositum est distinguenda triplex contrarietas: quedam est contrarietas circa subiectum, et quedam circa genus, et quedam circa materiam. Prima contrarietas est qualitatum contrariarum; secunda est differentiarum, et tertia est forme et privationis. Contrarietas secundo modo et tertio modo dicta est in substantia, quia in genere substantie sunt differentie opposite dividentes genus substantie, ut corporeum et incorporeum; et ideo in genere substantie est contrarietas circa genus. Similiter in genere substantie est contrarietas circa materiam, quia forma substantialis est in genere substantie et ei contrariatur privatio contrarietate que est inter privationem et habitum. Sed contrarietas primo modo dicta, que propriissime est contrarietas, non est in genere substantie; et de illa contrarietate habet intelligi proprietas. Ad hoc enim quod aliqua sint contraria isto modo requiruntur tres condiciones, scilicet quod sint posita sub eodem genere, et quod maxime distent sub illo genere, et quod possint inesse eidem subiecto successive, per ‘subiectum’ intelligendo substantiam compositam. Non enim sufficit quod possint inesse successive materie prime. Isto modo albedo et nigredo sunt

contraria, quia posita sunt sub eodem genere, ut sub colore, et in genere coloris maxime distant, et possunt vicissim inesse eidem substantie composite.

Quinta proprietas est ista, quod substantia non suscipit magis et minus. Et hec est conclusio duodecima: nulla substantia suscipit magis et minus. Hec conclusio probatur inductive, quia nulla substantia prima suscipit magis et minus nec substantia secunda.

Intelligendum est quod hec proprietas habet intelligi de substantia quantum ad illud quod est et quantum ad <R 5ra> essentiam substantie. Sic enim substantia non suscipit magis et minus. Quantum tamen ad actum substandi substantia suscipit magis et minus. Nam quantum ad actum substandi substantia prima est magis substantia quam secunda; sed quantum ad actum subsistendi non.

Intelligendum etiam quod ex hoc quod substantie <P 178vb> nihil est contrarium sequitur quod substantia non suscipit magis et minus, quoniam causa quare aliquid suscipit magis et minus est quia potest magis vel minus permisceri cum suo contrario. Illud enim est albus quod est nigro impermixtius; et illud est minus album quod magis est mixtum cum nigro. Ex hoc ergo quod substantia non habet contrarium cum quo potest permisceri, sequitur quod substantia non suscipit magis et minus. Et si haberet contrarium susciperet magis et minus, quia contraria maxime distant; sed maxime distare dicitur respectu maioris et minoris distantie. Ad hoc ergo quod aliqua sint contraria oportet quod ibi sit medium <J 60va> quod magis et minus distet ab utroque extremorum. Ex hoc concluditur quod illa que sunt contraria sunt *disponibilia* secundum magis et minus. Et ideo, si substantia haberet contrarium, susciperet magis et minus. Et cum non suscipiat magis et minus, non habet contrarium proprio dictum.

Ad unum argumentum contra precedentem proprietatem, quod fuit: nihil corrumpitur nisi per suum contrarium etc., dicendum quod hoc est falsum. Hec tamen est vera ‘nihil corrumpitur, nisi per suum contrarium vel per contrarium <G 14a> qualitatis eius’; et sic potest substantia corrumpi, non per contrarium substantie, sed per qualitates contrarias qualitatibus substantie. Vel aliter: aliquid esse contrarium alicui est dupliciter, vel secundum se, vel secundum suas qualitates. Substantie nihil est contrarium secundum se. Substantie tamen est aliquid contrarium secundum suas qualitates, quoniam ignis secundum se non contrariatur aque, sed ignis secundum suas qualitates contrariatur aque. Et sic corrumpitur substantia per contrarium sibi secundum qualitates.

Circa istam proprietatem, substantia non suscipit magis et minus, intelligendum est quod magis et minus comparationem important. Comparatio autem est diversorum respectu unius; et ideo illa non sunt comparabilia secundum magis et minus in aliquo que non communicant in illo. Et propter hoc non dicimus sonum esse acutorem stilo, nec lucem esse clariorem tenebris. Ideo oportet quod illud unum in quo aliqua comparantur conveniat illis que in illo comparantur; et ideo illud u-

num non potest esse unum numero, quia unum numero non competit diversis. Oportet ergo quod illud unum sit unum genere vel specie, vel unum proportione seu analogia. Dico tunc quod si diverse substantie comparantur ad aliquid quod est unum in eis secundum analogiam, sic suscipiunt magis et minus. Nam una substantia est perfectius ens quam alia; et ideo comparando diversas substantias ad ens sic substantia suscipit magis et minus, quia una substantia est magis ens quam alia. Sed diverse substantie, comparete ad genus substantie vel ad speciem <**P 179ra**> substantie, respectu illorum non suscipiunt magis et minus. Et sic est proprietas intelligenda quod substantia non suscipit magis et minus, hoc est quod diverse substantie non comparantur in genere substantie nec in aliqua specie substantie secundum magis et minus. Comparantur tamen in ente secundum magis et minus.

Unde intelligendum quod in quolibet genere est una species perfectissima, et per recessum ab illa specie vel accessum dicuntur aliae substantie magis perfecte vel minus perfecte. Et illa species in genere substantie est intelligentia suprema, et quanto aliqua substantia est propinquior illi speciei tanto est perfectior, et quanto est remotior ab illa specie tanto est imperfectior.

Sciendum etiam quod non est possibile quod in genere substantie sint due species equaliter perfecte, quia due differentie opposite semper sic se habent quod una se habet ut privatio respectu alterius, sicut irrationale se habet ut privatio et rationale se habet ut habitus. Et species constituta per differentiam se habentem per modum privationis est imperfectior quam species <**R 5rb**> constituta per differentiam se habentem per modum habitus. Et sic patet quod diverse substantie comparantur in ente secundum magis et minus, etsi non in substantia.

Sexta proprietas est ista: substantia manens una et eadem numero est susceptibilis contrariorum. Et hec proprietas est proprie propria prime substantie, quia convenit omni prime substantie et solum tali. Unde hec est conclusio decimatertia huius capituli: sola substantia manens una et eadem numero est susceptibilis contrariorum. Et quia hec conclusio est una exclusiva, probatur per veritatem suarum exponentium, quoniam affirmativa exponens est vera, ut patet: Sortes manens unus et idem numero aliquando est calidus et aliquando frigidus; similiter est aliquando pravus, aliquando studiosus. Et sic substantia manens una et eadem numero est susceptibilis contrariorum. Et sic patet affirmativa exponens. Negativa exponens probatur inductive, quia nihil aliud a substantia manens unum et idem numero est susceptibile contrariorum. Nam eadem actio numero non est aliquando prava et aliquando studiosa; similiter idem color non est aliquando albus et aliquando niger; et sic de aliis a substantia.

Sed adhuc oportet addere ad hanc conclusionem quod sola substantia manens una et eadem numero secundum sui mutationem est susceptibilis contrariorum. Et per hoc removentur obiectiones; quoniam oratio manens una et eadem numero aliquando est vera et aliquando falsa; et similiter opinio. Et sic oratio et opinio suscipiunt contraria. Sed hoc non est secundum sui mutationem, sed

secundum mutationem rei. Nam Sorte sedente est hec oratio vera ‘Sortes sedet’, sed ipso surgente est hec <**P 179rb**> eadem falsa, non quia aliqua <**G 14b**> transmutatio fiat circa hanc orationem, sed quia Sortes mutatur a sessione <**J 60vb**> in stationem. Et ideo oratio et opinio mutantur a veritate in falsitatem ad mutationem rei significate per orationem; et ideo dicit Philosophus quod in eo quod res est vel non est est oratio vera vel falsa. Nam si sic sit a parte rei sicut significatur per orationem, tunc est oratio vera; si autem sit a parte rei <aliter> quam significatur per orationem, tunc est oratio falsa. Est ergo hec proprietas: substantia manens una et eadem numero secundum sui mutationem est susceptibilis contrariorum. Linea et superficies manentes eadem numero suscipiunt contraria, quoniam linea manens eadem numero mutatur a rectitudine in curvitatem, et superficies manens eadem numero mutatur ab albedine in nigredinem, sed hoc non est secundum sui mutationem, sed secundum mutationem substantie in qua est linea vel superficies. Ideo proprium est substantie secundum sui mutationem esse susceptibilem contrariorum. Et hec proprietas competit prime substantie solum, quia substantia secunda non suscipit contraria nisi secundum mutationem substantie prime.

## **<De quantitate>**

### **<De natura et speciebus quantitatis>**

#### **Quantitatis aliud continuum, aliud discretum.**

Hoc est secundum capitulum huius partis in quo determinatur de quantitate. Et in principio capituli ponuntur due divisiones et postea ponuntur diffinitiones et conclusiones. Prima divisio est: quantitatis alia continua, alia discreta. Secunda divisio est: quantitatum alia constat ex partibus habentibus positionem ad se invicem et alia constat ex partibus non habentibus positionem ad se invicem. Primo est dicendum de prima divisione: quantitas discreta est ut numerus et oratio, quantitas continua ut linea, superficies, corpus, locus et tempus.

Sed ante quam ulterius procedamus videamus que sit coordinatio huius predicamenti. Ad cuius evidentiam sciendum quod, cum quantitas sit genus generalissimum et de ratione quantitatis sit habere partes vel esse divisibile in partes, quantitas tunc vel est divisibilis in partes que copulantur ad terminum communem, vel in partes que non copulantur ad terminum communem. Et iste erunt differentie laterales quantitatis, ita quod una differentia sit esse divisibile in partes que copulantur ad terminum communem. Et hec differentia constituit quantitatem continuam. Alia differentia lateralis est esse divisibile in partes que non copulantur ad terminum communem. Et hec differentia constituit quantitatem discretam. Sed statim post quantitatem in linea predicamentali ponatur quantitas continua, et est genus subalternum. Et cum de ratione continui sit esse divisibile secundum aliquam dimensionem eius, differentie laterales <**R 5va**> erunt esse divisibile secundum unam dimensionem tantum et esse divisibile secundum plures dimensiones. Si secundum unam dimensionem tantum, sic est linea; et ponatur linea directe sub quantitate continua. Ulterius, cum de ratione linee sit esse terminata <**P 179va**> punctis tamquam duobus extremis, differentie laterales eius erunt linea cuius medium exit ab extremis et linea cuius medium non exit ab extremis; <et linea cuius medium non exit ab extremis> est linea recta. Et ponatur linea recta directe sub linea. Et est species specialissima. Et sic potest fieri una arbor sicut ponit Porphyrius de genere substantie.

Eodem <**J 61ra**> modo potest accipi species specialissima si quantitas discreta immediate ponatur sub quantitate. Unde quantitas discreta dividitur, quia quedam constat ex partibus permanentibus et quedam constat ex partibus sibi invicem succendentibus, ita quod iste sunt differentie laterales quantitatis discrete; quantitas discreta constans ex partibus permanentibus est numerus, sed illa que constat ex partibus non permanentibus est oratio. Et ponatur numerus directe in linea sub quantitate discreta, et est numerus genus subalternum. Numerus dividitur in parem et in imparem; et sint iste differentie laterales numeri: par et impar. Etsi enim par <**G 15a**> et impar non indicent es-

sentiam numeri, tamen oportet illa accipere loco differentiarum essentialium; et multotiens accipi-  
mus differentias accidentales loco differentiarum essentialium, quia differentie essentiales sunt no-  
bis ignote. Par additum numero constituit numerum parem; et ponitur numerus par in linea sub nu-  
mero, et est genus subalternum. Numerus par dividitur, quia quidam est pariter par, et quidam pari-  
ter impar, et quidam impariter par. Numerus pariter par est ille qui potest dividi in duo paria, et u-  
traque medietas in duo paria, et medietas medietatis in duo paria; et sic quousque divisio perveniat  
ad unitatem; huiusmodi sunt trigintaduo et sexagintaquattuor. Numerus pariter impar est ille qui est  
numerus par et nunquam potest dividi in duo paria, cuiusmodi sex; sic intelligendo ‘dividi in duo  
paria’ quod utraque medietas sit numerus par. Numerus impariter par est ille qui potest dividi in  
duas medietates pares, sed non quelibet medietas potest sic dividi in duo paria quousque divisio  
perveniat ad unitatem; huiusmodi sunt vigintiquattuor et etiam viginti. Sed quia genus debet dividi  
primo per duas differentias, sint iste differentie laterales numeri paris: pariter par, non pariter par.  
Pariter par additum numero constituit numerum pariter parem, et est numerus pariter par genus su-  
balternum. Et sint eius differentie laterales iste: constans ex quattuor unitatibus tantum et constans  
ex pluribus unitatibus quam quattuor. Prima differentia constituit numerum quaternarium; et <R  
**5vb**> ponitur quaternarius immediate sub numero pariter par; et est quaternarius species specialis-  
sima; sub quaternario enim non sunt nisi individua, ut ille quaternarius et iste.

Circa istud capitulum dubitatur primo circa genus quantitatis, deinde circa eius species. Pro-  
batur primo quod quantitas non sit genus, quia nullum genus predicitur denominative de suis spe-  
ciebus; sed quantitas predicitur denominative de suis speciebus; ergo quantitas non est genus.  
Maior patet quia genus predicitur de suis speciebus in quid, ergo non denominative, quia quod pre-  
dicatur denominative non predicitur in quid. Minor patet, quia hec est vera ‘linea est <P 179vb>  
quanta’, et in hac predicitur quantitas de linea <G 15b> denominative.

Preterea, in quolibet genere est unum primum et minimum quod est mensura aliorum in illo  
genere; sed in genere quantitatis sunt duo prima, ut punctus est primum in continuis et unitas est  
primum in discretis.

Preterea, omne genus unum habet aliquam unam rationem primam que equaliter competit  
omnibus contentis in illo genere; sed quantitas non habet aliquam talem rationem, quia illa ratio vel  
esset ratio mensure vel ratio divisibilis; non ratio mensure, quia ratio mensure per prius competit  
quantitati discrete quam continue, ut patet per Commentatorem, X *Metaphysice*; nec ratio divisibi-  
lis, quia illa per prius competit quantitati continue quam quantitati discrete, quia numerus causatur  
ex divisione continui; et ideo ratio divisibilis non competit numero nisi propter continuum; et ideo  
ratio divisibilis primo competit continuo.

Preterea, quantitas discreta est prior quam quantitas continua, per Boethium, I *Arithmetice*; sed omne genus habet species eque primas; ergo quantitas non est genus, cum una species eius sit prior alia.

Dicendum quod quantitas est genus quia habet unum modum essendi seu unam rationem primam distinctam a quacumque ratione alterius predicamenti. Hec ratio est de se habere partes integrales. Hec enim ratio competit cuilibet quantitati et nulli alteri. Etsi enim aliud a quantitate habeat partes integrales, hoc non est de se, sed per quantitatem. Non tamen dico quod aliud a quantitate habet partes integrales per quantitatem effective, sed formaliter – non effective, cum quantitas non sit de potentiis activis, sed formalibus. Sicut enim omne album est album ab albedine formaliter, sic omne quantum est quantum a quantitate formaliter; et sicut impossibile est ponere aliquid esse album sine albedine, sic impossibile est ponere aliquid esse quantum sine quantitate. Sed idem est esse quantum proprie et habere partes integrales. Et ideo habere partes integrales primo competit quantitati. Et ideo Philosophus, V *Metaphysice*, dicit quod quantum est quod est divisibile in partes que insunt, quarum quelibet nata est esse unum et hoc aliquid. Partes que insunt, quarum quelibet nata est esse hoc aliquid sunt partes integrales; nam partes essentiales, cuiusmodi sunt materia et forma, non sunt nate esse hoc aliquid, quia non sunt nate per se existere separatim a toto. Similiter elementa in que <**R 6ra**> mixtum dividitur non insunt mixto, quia non sunt in mixto nisi virtualiter. Et ideo per illam particulam, ‘divisibile in partes que insunt’, excluditur <**J 61rb**> divisio que est mixti in elementa; et per illam particulam, ‘quarum quelibet nata est esse hoc aliquid’, excluditur divisio que est in partes essentiales. Et sic patet quod prima ratio quantitatis est esse divisibile in partes integrales. Nec competit primo quantitati esse divisibile in partes eiusdem rationis, sicut illi dicunt qui ponunt quantitatem esse principium individuationis; immo primo competit quantitati esse divisibile in partes integrales. Et si ille partes essent diverse rationis et diverse speciei, adhuc salvatur ratio quantitatis - ut si numerus senarius divideretur in numerum quaternarium et numerum binarium, qui sunt diverse speciei, adhuc <**P 180ra**> numero senario competenter ratio quantitatis, que est esse divisibile in partes que insunt etc.

Ad primum argumentum dicendum quod quantitas potest considerari dupliciter, vel quantum ad illud quod est, vel quantum ad rationem mensure. Considerando quantitatem quantum ad illud quod est, sic predicator in quid de suis speciebus; sed considerando quantitatem quantum ad rationem mensure, sic predicator de suis speciebus denominative, quia de quolibet mensurato per quantitatem predicator quantitas denominative. Nunc autem quantitas non solum mensurat alia, sed etiam mensuratur in mensurando alia. Et hoc vel secundum se vel secundum suas partes; unitas enim mensuratur secundum se et quantitas bipedalis secundum suas partes. Ideo quantitas, ut consideratur per rationem mensure, predicator denominative de suis speciebus, eo quod sue species mensurantur.

Sed non est sic in aliis generibus, quoniam <G 16a> qualitas qualificando subiectum non qualificat se ipsam, et ideo qualitas non predicitur denominative de suis speciebus; non enim dicimus quod albedo est alba, sicut dicimus quod linea est longa. Ad argumentum dico quod nullum genus consideratum quantum ad illud quod est et quantum ad essentiam generis predicitur denominative de suis speciebus. Quantitas tamen considerata per rationem mensure predicitur denominative de suis speciebus – et hoc est speciale in quantitate.

Ad secundum argumentum dicitur multis modis. Uno modo quod, cum dicitur ‘in quolibet genere est unum primum’ etc., istud non intelligitur de genere generalissimo, sed de genere subalterno, quoniam in genere coloris est unum primum, scilicet albedo, et in alio genere subalterno est aliud primum, ut in genere saporis. Sic ergo in quolibet genere subalterno est unum primum; et ideo in genere generalissimo possunt esse plura prima.

Vel aliter quod primum in genere generalissimo debet esse una prima species. Nunc nec punctus nec unitas est species de genere quantitatis; sed ista sunt principia quantitatis. Per hoc ad argumentum concedo quod in quolibet genere generalissimo est unum primum, id est: una species prima que est perfectissima in illo genere. Plura tamen principia prima que non sunt directe in genere possunt esse in eodem genere generalissimo, cuiusmodi sunt punctus et unitas. Illi speciei que est perfectissima in genere quantitatis non est forte nomen impositum.

Vel aliter: posito quod in quodlibet genere debeat esse unum primum quod est principium illius generis, tunc primum in genere quantitatis debet poni unitas, quoniam unitas est simplicior quam punctus, quia punctus supra unitatem addit positionem, quia, ut vult Philosophus, V *Metaphysice*, punctus est unitas positionem habens.

Ad tertium patet per positionem, que scilicet est prima ratio quantitatis.

Ad aliud, cum dicitur quod quantitas discreta est prior quam quantitas continua, dicendum quod quantum ad rationem mensurandi quantitas discreta est prior quam quantitas continua, quia mensura non attribuitur quantitati continue nisi ratione quantitatis discrete. Verbi gratia, ulna non mensurat pannum nec certificat de quantitate panni nisi ex hoc quod est totiens vel totiens replicata in panno, ut bis vel ter. <P 180rb> Non enim scitur per ulnam quantus est pannus nisi ex hoc <R 6rb> quod scitur quotiens ulna replicatur in panno. Et ideo ulne non competit ratio mensure nisi ratione quantitatis discrete. Et ideo dicit Commentator, X *Metaphysice*, quod prima ratio mensure reperitur in quantitate discreta. Dico tunc ad argumentum quod quantitas continua et quantitas discreta possunt comparari vel ad genus quantitatis, et sic neutrum est prius altero, vel possunt comparari ad rationem mensurandi, et sic quantitas discreta <J 61va> est prior quam quantitas continua.

Circa species quantitatis contingit dubitare primo circa quantitatem discretam; secundo circa quantitatem continuam. Et primo circa numerum, secundo circa orationem. Probatur primo quod

numerus non sit quantitas, quia nulla quantitas componitur ex indivisibilibus, cum indivisibile additum indivisibili non faciat maius, nec per consequens aliquod quantum. Sed numerus componitur ex indivisibilibus, ut ex unitatibus, que sunt indivisibles. Ergo numerus non est quantitas.

Preterea, cum triplex sit numerus, scilicet numerus numerans, numerus numeratus et numerus quo numeramus, si numerus esset quantitas, aut ergo numerus numerans esset quantitas, quod non contingit, quia numerus numerans est ipsa anima, et anima non est quantitas; nec numerus numeratus, quia res numerate sunt numerus numeratus, ut tres homines vel tres asini, sed res numerate non sunt quantitas, ergo numerus numeratus non est quantitas; nec numerus quo numeramus, quia ille numerus est quoddam mathematicum, et de tali non habet logicus considerare.

Preterea, omnis quantitas habet aliquod unum subiectum, sed numerus non habet aliquod unum subiectum, quia nihil potest poni subiectum numeri, nisi res numerate ponantur esse subiectum numeri. Sed hoc non contingit ponere, quia subiectum numeri debet esse unum numero, sicut et accidens est unum numero; sed res numerate, ut homo et bos, non sunt unum <G 16b> numero; ergo non sunt subiectum numeri. Ergo numerus non habet aliquod subiectum, et per consequens non est quantitas.

Preterea, numerus non habet unam formam, ergo non est quantitas.

Dicendum quod numerus est quantitas, quia numerus est quantitas cuius partes non copulantur ad terminum communem. Similiter prima ratio quantitatis competit numero.

Ad primum argumentum dicendum quod nulla quantitas continua componitur ex indivisibilibus, tamen quantitas discreta bene potest componi ex indivisibilibus. Nec probat Philosophus quod nullum quantum componitur ex indivisibilibus, sed solum probat quod nullum continuum componitur ex indivisibilibus. Et quando tu dicis quod indivisible non facit maius, dicendum quod hoc est verum: indivisible non facit maius; tamen indivisible facit plus, quoniam etsi tria indivisibilia non sunt maiora quam duo, sunt tamen plura quam duo. Et ita unum indivisible facit plus. Unde intelligendum est hic quod magnum et parvum sunt differentie quantitatis continue, sed multum et paucum sunt differentie quantitatis discrete. Et ideo dicit Philosophus, V *Metaphysice*, quod quantitas dividitur primo in magnitudinem et multitudinem tamquam in primas species, per ‘magnitudinem’ intelligens quantitatem continuam, et per ‘multitudinem’ quantitatem discretam. Unde de numero et de oratione predicanter multum et paucum, dicendo ‘iste numerus est multus’, <P 180va> vel ‘ille numerus est paucus’. Sed de continuo predicanter magnum et parvum. Verumtamen de aliquo continuo predicanter multum et paucum, ut de continuo quod de facili est divisibile. Dicimus enim aquam esse multam vel paucam. Sed illa non predicanter de continuo nisi ex hoc quod est de facili divisibile et in potentia propinqua ad divisionem. Tamen multum et paucum equivoce predicanter de continuo et de discreto, ut dicit Commentator, X *Metaphysice*.

Ad aliud dicendum quod numerus qui est in genere quantitatis est numerus quo numeramus, ut binarius, ternarius. Et quamvis ille numerus sit mathematicus, tamen de tali numero habet logicus determinare, in quantum talis numerus habet ordinem in linea predicamentali, ut in hoc quod habet inferius et superius. Et sciendum quod differentia est inter numerum numeratum et numerum quo numeramus, quia numerus quo numeramus, qui numerus est per se in genere quantitatis, est compositus ex unitatibus continuorum. Et ideo dicit Philosophus quod numerus causatur ex divisione continui, quia non quecumque multitudo est numerus qui est in genere quantitatis, sed solum multitudo composita ex unitatibus continuorum. Et sic patet quod numerus intelligentiarum non <R 6va> est in genere quantitatis. Sed in quolibet genere reperitur multitudo rerum illius generis, et talis multitudo est in eodem genere per reductionem. Sed numerus numeratus est multitudo rerum numeratarum, ut multitudo hominum vel multitudo <J 61vb> bovum dicitur numerus numeratus. Illa multitudo non solum est composita ex unitatibus, sed ex rebus habentibus unitates. Nam multitudo hominum componitur ex hominibus; sed multitudo que est numerus quo numeramus componitur ex unitatibus hominum vel ex unitatibus continuorum. Per hoc patet quod non est concedendum quod res numerate sunt numerus numeratus, quia sic homo et asinus essent numerus numeratus, et sic homo et asinus essent aliquid, quod non est verum, quia nec sunt commune nec singulare. Et ideo res numerate non sunt numerus numeratus. Sed multitudo rerum numeratarum est numerus numeratus, et multitudo suarum unitatum est numerus quo numeramus.

Ad aliud dicunt aliqui quod numerus est in rebus numeratis sicut in subiecto; et dicunt quod res numerate sunt unum subiectum numeri; et tamen non sunt aliquid. Sed isti incidunt in illud quod intendunt vitare, quia, si res numerate non sint aliquid et numerus sit in rebus numeratis, ergo numerus in nullo est subiective, et sic est aliquid accidens quod non est in subiecto.

Alii dicunt quod numerus <G 17a> est subiective in aliquo aggregato ex rebus numeratis. Sed ista responsio nihil valet, quia aggregatum ex rebus numeratis minorem entitatem habet quam numerus; sed ex quo accidens habet entitatem a subiecto, oportet quod subiectum habeat maiorem entitatem quam accidens; sed aggregatum ex rebus numeratis non est substantia; et sic esset aliquid accidens habens subiectum quod tamen non esset in substantia sicut in subiecto.

Ideo dicendum <P 180vb> est sicut dicit Commentator, IV *Physicorum* in fine, quod proprium est numero vel quantitati discrete esse in pluribus subiectis. Ideo dico quod numerus non est in aliquo uno subiecto, sed in pluribus subiectis, scilicet in rebus numeratis. Nec oportet quod omne accidens sit in subiecto, sed omne accidens est in subiecto vel in subiectis.

Si tu dicas: ‘Idem accidens non est in diversis subiectis, ergo numerus ex quo est unum accidens non est in diversis subiectis’, dicendum quod unum accidens non est in diversis subiectis ita quod sit in quolibet illorum; nec est numerus sic in diversis subiectis, sed est in diversis subiectis

collective, quia una pars eius, ut una unitas, est in una re numerata et alia eius unitas in alia re numerata; et ideo totus numerus est in rebus numeratis sic quod in nulla illarum.

Ad aliud dicendum quod numerus habet aliquam unam formam, ita quod in numero est aliquid aliud preter unitates. Unitates enim sunt materialia in numero. Per hoc enim quod numerus habet unitates convenit unus numerus cum quocumque alio numero, et ideo preter unitates oportet aliquid esse in numero per quod unus numerus differt ab alio. Et hoc est quod dicit Avicenna, III sue *Metaphysice*, sic: “Unicuique numerorum est certitudo propria et forma que de ipso concipitur in anima; et ipsa certitudo est quidditas eius qua est illud quod est”. Et postea dicit: “Non est mirum si res sit una, in quantum habet formam unam, sicut est denarietas et ternarietas. Unde in quantum sibi inest denarietas est cum proprietatibus que convenient omnibus decem, sed in quantum habet multitudinem non habet proprietates, nisi proprietates multitudinis, que est opposita uni”. Sic ergo patet quod numerus habet aliquam formam per quam differt ab alio numero, ut ternarius ternarietatem, et illa forma nec est in una re numerata, nec in alia, nec partim in una re numerata nec partim in alia, sed totum est in rebus numeratis, nec totum in una re numerata nec partim in una nec partim in alia.

Circa orationem que est quantitas discreta est <**R 6vb**> intelligendum quod triplex est oratio, scilicet in mente, in scripto et in prolatione, ut dicit Boethius. Oratio in mente non est quantitas, quia oratio in mente est indivisibilis, cum sit in non quanto; similiter oratio in scripto non est quantitas discreta, sed vel est substantia vel quantitas continua. Oratio enim in scripto est quoddam <**P 181ra**> artificiale cuius forma est figura, et ideo non est quantitas discreta. Et ideo circa orationem in prolatione oportet videre que est oratio que est quantitas discreta. Ad cuius evidentiam est intelligendum quod in oratione prolata est quattuor considerare, scilicet ipsam orationem prolatam, et ipsa oratio prolata est in tertia specie qualitatis, cum sit obiectum auditus; secundo est considerare ipsam prolationem successivam, et quantum ad hoc ipsa vox mensuratur tempore, quia sicut multum et paucum se habent in discretis sic longum et breve se habent in continuis. Nunc, si continuum <**G 17b**> sit in potentia propinqua ad divisionem possumus enuntiare de eo multum et paucum. Similiter de discretis successivis <**J 62ra**> aliquando possumus enuntiare longum et breve et alias passiones continuorum, propter aliquam convenientiam quam talia discreta habent cum continuis. Unde nihil prohibet tempus mensurans prolationem aliquorum esse continuum, et tamen ea que proferuntur esse discrete. Nam per Philosophum illud continue movetur quod paucissime deficit rei non tempori. Et per hoc innuit Philosophus quod continuitas potest esse in tempore etsi non sit continuitas in rebus motis vel mensuratis tempore. Ut si aliquis post cordam gravem tangat acutam, fit motus continuus, et tempus mensurans illum motum est continuum; et si aliquis transeat de loco ad locum super lapides distantes. Unde licet oratio componatur ex partibus discretis nihil prohibet prolationem eius esse continuam et mensurari tempore. Tertio circa orationem prolatam contingit consi-

derare ipsam discretionem partium secundum illud quod sunt absolute. Et sic correspondet eis numerus pro mensura. Quarto potest considerari discretio partium non absolute, sed ut sint in successione. Et sic debetur eis oratio que est quantitas discreta pro mensura. Unde oratio que est quantitas discreta nihil aliud est quam mensura discreta et successiva vocis composite ex partibus discretis sibi invicem in prolatione succendentibus. Et hoc videtur rationabile. Nam in continuis alia est mensura permanentium, ut linea et corpus, et alia successivorum, ut tempus. Similiter rationabile est quod in discretis alia sit mensura permanentium, ut numerus, et alia sibi invicem succendentium; et illa mensura est oratio. Unde vocis composite et prolate sunt tres mensure: tempus, numerus et oratio. Tempus quo ad prolationem; sed numerus est mensura quantum ad partes eius discretas absolute; sed oratio est mensura eius prout partes eius discrete sibi invicem succedunt. Unde breviter: oratio que <**P 181rb**> est quantitas discreta est mensura intrinseca vocis prolate. Et ideo in quibusdam litteris reperitur: “Dico autem orationem cum voce prolate”, quasi diceret: oratio que est quantitas discreta non est vox prolate, sed est cum voce prolate tamquam concomitans vocem prolatam sicut mensura mensuratum. Sed alia littera habet: “Dico autem orationem cum voce prolatam”. Et si ista sit littera, tunc debet intelligi quod oratio que est quantitas discreta non est vox, sed est aliquid prolatum cum voce, quia oratio que est quantitas discreta est mensura intrinseca vocis prolate, et habet esse ex hoc quod vox profertur.

Adhuc est dubitatio circa numerum. Videtur enim quod non sit status in numeris, sed quod in quolibet numero sint infinite unitates. Nam in binario sunt infinite unitates. Probo: quia binarius est unus, ergo aliqua unitate est unus. Ista unitas non est aliqua pars materialis binarii, <**R 7ra**> quia non est maior ratio quare binarius est unus una unitate materiali quam alia; ergo binarius est unus tertia <**G 18a**> unitate. Sed illa unitas cum aliis duabus unitatibus constituit ternarium; et ille ternarius est unus; ergo est unus aliqua unitate; sed non aliqua illarum trium unitatum; ergo unitate quarta. Est ergo ibi unus quaternarius compositus ex illis quattuor unitatibus; et ille quaternarius est unus alia unitate; et non nisi unitate quinta. Et sic erit processus in infinitum.

Ad istud dicitur quod non est procedere in infinitum, sed dicitur quod quilibet numerus est unus eius ultima unitate. Et sic binarius est unus per suam secundam unitatem non absolute consideratam, sed per secundam unitatem replicatam supra primam unitatem. Sed istud non valet, quia neutra unitas binarii est magis secunda unitas quam alia. Etsi enim unus numerus habeat ordinem ad alium numerum tamen in uno numero non est ordo unitatum ad invicem. Et ideo si ab alia unitate materiali haberet numerus unitatem eadem ratione a qualibet unitate materiali haberet unitatem. Ideo dicendum quod numerus est unus ab unitate que non est pars materialis numeri. Et illa unitas est entitas numeri; ab eodem enim est numerus unus a quo est ens. Sed illa unitas a qua numerus est unus non est pars numeri, sed est concomitans numerum. Et hoc vult Avicenna, quando dicit quod

unum et ens non sunt partes essentie, <**P 181va**> sed concomitantur essentiam. Et concedo quod illa unitas est in numero, et concedo quod in eodem numero sunt infinite unitates que non sunt partes illius numeri, sed concomitantes numerum. Et hoc concludit argumentum.

Sciendum quod non est in isto genere sicut in aliis generibus, quoniam in genere substantie non sunt infinite species sub eodem genere infimo, sed in <**J 62rb**> genere quantitatis sunt infinite species numeri sub eodem genere, quia non est dare aliquem numerum quin adhuc contingit dare maiorem numerum, et ideo non est dare certum numerum specierum numeri, quia quicquid potest esse species numeri est species numeri, et non est dare tot species numeri quin contingit dare plures. Et ideo in genere quantitatis oportet dicere quod non omne genus descendit in duas species primo, sed oportet dicere quod aliquod genus descendit in infinitas species essentialiter et eque primo. Vel posset aliter dici quod contingit dare maximum numerum, ita quod impossibile est quod sit maior qui potest poni hoc modo, quoniam numerus causatur ex divisione continui, ita quod numerus qui est in genere quantitatis componitur ex unitatibus continuorum actu divisorum; si ergo imaginemus quod omnes res naturales et omnia continua essent divisa in minima naturalia, numerus illorum es- set numerus maximus, nec posset esse numerus maior, quia res naturalis non potest ulterius dividi quam in minimum naturale. Sed adhuc, si omnes res naturales essent divise in minima, ista minima essent finita, et ideo numerus istorum minimorum esset finitus. Et secundum illam viam non est procedere in infinitum in numeris.

His visis videnda sunt ea que dicuntur in littera. Dicitur enim quod quantitas discreta est ut numerus et oratio, et quantitas continua ut linea, superficies, corpus, locus et tempus. <**G 18b**> Et potest sufficientia illarum specierum sic accipi: omnis quantitas aut est mensura discretorum aut continuorum. Si sit mensura discretorum, aut ergo permanentium aut successivorum. Si sit mensura permanentium, sic est numerus; si sit mensura successivorum, sic est oratio. Si sit mensura continuorum, aut est mensura intrinseca aut extrinseca. Si sit mensura intrinseca aut mensurat secundum unam dimensionem tantum, et sic est <**R 7rb**> linea; aut secundum duas dimensiones, et sic est superficies; aut secundum tres, et sic est corpus. Et quia non sunt plures dimensiones quam tres, ut dicitur *I De Celo*, ideo non potest aliqua quantitas mensurare secundum plures dimensiones quam tres. Si sit mensura extrinseca, aut ergo est mensura permanens, et sic est locus, aut est mensura successiva, et sic est tempus.

Intelligendum est quod Philosophus ponit hic tempus esse quantitatem per se et in *V Metaphysice* ponit tempus esse <**P 181vb**> quantitatem per accidens; et hoc quia Philosophus hic distinguit species quantitatis secundum diversas rationes mensurandi, et quia tempus est per se mensura et motus non, ideo hic ponitur quod tempus est per se quantitas.

Prima conclusio huius capituli est ista, quod numerus est quantitas discreta. Et probatur sic: numerus est quantitas cuius partes non copulantur ad terminum communem, ergo numerus est quantitas discreta. Consequentia patet, quia hec est diffinitio quantitatis discrete: quantitas cuius partes non copulantur ad terminum communem. Antecedens patet, scilicet quod partes numeri non copulantur ad terminum communem, quia quinque et quinque sunt partes numeri qui est decem, et non copulantur ad aliquem terminum communem, quia inter quinque et quinque non est aliquis terminus communis qui est terminus utriusque numeri quinarii.

Secunda conclusio est ista quod oratio est quantitas. Ad hanc conclusionem probandam capit Philosophus istam litteram: “Mensuratur enim syllaba brevis et longa; ergo oratio est quantitas”. Sed ista probatio non videtur valere, quia ex hoc quod oratio mensuratur non est concludendum quod oratio sit quantitas, quia de ratione quantitatis non est mensurari sed mensurare. Similiter, syllaba non est oratio, ergo etsi syllaba mensuretur hoc nihil est ad propositum.

Dicendum quod, si oratio per se mensuretur, quod tunc oratio habet per se mensurare. Nam cuius proprium est mensurari eius proprium est mensurare, secundum quod hic dicit Simplicius. Et Philosophus, <G 19a> X *Metaphysice*, dicit quod mensura et mensuratum sunt unigenia et eiusdem nature. Ideo cuius nature est mensurare eiusdem nature est mensurari. Et ideo si syllaba vel oratio per se mensuratur, sequitur quod habet per se mensurare. Et ita quod sit quantitas.

Alii dicunt quod hoc nomen ‘syllaba’ non tenetur <J 62va> nominative sed ablative, ita quod sit sensus: oratio mensuratur syllaba que est brevis vel que est longa. Et sic probatur quod oratio per se mensuratur, et per consequens est quantitas

Aliter potest dici, et melius, sustinendo quod oratio que est quantitas est mensura, et quod per istam litteram ‘mensuratur enim syllaba brevis et longa’ intelligit Philosophus quod syllaba brevis et longa mensuratur per orationem que est quantitas. Et sic probatur quod oratio est mensura, et per consequens quod oratio est quantitas. Est ergo hec probatio: syllaba brevis et longa mensuratur per orationem; et non mensuratur nisi per quantitatem; ergo oratio est quantitas.

Tertia conclusio est quod oratio est quantitas discreta. Et probatur, quia oratio est quantitas cuius partes non copulantur ad terminum communem, ergo est quantitas discreta. Antecedens satis patet, et consequentia similiter.

Sciendum quod magis probatur de oratione quod est quantitas quam de aliqua alia specie, quia minus <P 182ra> videtur de oratione quod ipsa sit quantitas, propter similitudinem vel convenientiam ad qualitatem, ut ad vocem vel sonum.

Quarta conclusio est quod linea est quantitas continua. Et probatur sic: linea est quantitas cuius partes copulantur ad terminum communem; ergo linea est quantitas continua. Consequentia patet, quoniam hec est diffinitio quantitatis continue: quantitas cuius partes copulantur ad terminum

communem. Et antecedens patet, quia partes linee copulantur ad terminum communem, ut ad punctum. Idem enim punctus est finis unius medietatis linee et principium alterius. Et intellige <R 7va> per ‘terminum communem’ non illud quod est predicable de pluribus, sed per ‘terminum communem’ debemus intelligere terminum duorum. Huiusmodi terminus est punctus, quia est terminus unius medietatis linee et etiam alterius; et ideo dicitur terminus communis, quia est terminus diversorum.

Quinta conclusio est de superficie. Et est quod superficies est quantitas continua. Et probatur per istud medium, quia eius partes copulauntur ad terminum communem. Terminus communis ad quem partes superficie copulantur est linea.

Sexta conclusio est de corpore. Et est quod corpus est quantitas continua. Et probatur per idem medium, quia partes corporis copulantur ad terminum communem. Et ille terminus communis ad quem partes corporis copulantur est superficies. Non superficies exterior, sed superficies interior. Partes enim corporis copulantur ad superficiem intrinsecam, que est in potentia in corpore.

Septima conclusio est de tempore. Et est quod tempus est quantitas continua. Et hec conclusio probatur per idem medium, quoniam partes temporis copulantur ad <G 19b> terminum communem, ut ad instans, sicut preteritum et futurum copulantur ad hoc instans, quoniam hoc instans est finis preteriti et initium futuri.

Octava conclusio est de loco. Et est quod locus est quantitas continua. Et hec conclusio probatur per idem medium, quoniam partes loci continent partes corporis; et ideo partes loci copulantur ad eundem terminum communem ad quem et partes corporis.

Sed dubitatur circa illud, quoniam partes corporis copulantur ad superficiem intrinsecam tamquam ad terminum communem, sed partes loci non copulantur ad superficiem intrinsecam in corpore locato, quia sic locus esset divisibilis secundum profunditatem.

Dicendum est, secundum quod dicit hic Averroes, quod Philosophus non loquitur hic de loco secundum veritatem, sed secundum opinionem aliorum, qui posuerunt locum esse spatium. Et si ponatur locum esse spatium, tunc cum spatium sit divisibile secundum tres dimensiones, locus esset divisibilis secundum tres dimensiones; et sic partes loci essent ubique cum partibus corporis; et sic partes loci copularentur ad superficiem intrinsecam corporis locati. Accipiendo tamen locum ut est ultimum corporis continentis, sic partes loci non copulantur ad eundem terminum communem ad quem partes corporis locati, sed copulantur ad lineam in corpore locante. Unde locus aliquando sumitur pro spatio, aliquando pro situ, qui situs est in corpore locato et extenditur ad extensionem corporis locati; et locus aliquando sumitur <P 182rb> pro ultimo corporis continentis. Accipiendo locum pro spatio vel pro situ, sic partes loci copulantur ad eundem terminum communem ad quem partes corporis, quia situs et spatium, si spatium ponatur locus, non habent proprias dimensiones,

nec habent alias dimensiones quam dimensiones corporis <J 62vb> locati; † et ideo partes spatii vel situs, si spatium ponatur locus, copulantur ad eundem terminum communem ad quem partes corporis – et hoc quia spatium et situs non habent proprias dimensiones. † Locus tamen diffinitus ab Aristotele IV *Physicorum* nec est spatium nec situs, sed vel est ultimum corporis continentis vel aliqua passio habens esse in ultimo corporis continentis. Et hoc videtur Commentator velle V *Metaphysice*, qui dicit sic: ‘Philosophus posuit hic motum de speciebus quantitatis, quod non fecit in *Predicamentis*, et illic locum, quod non fecit hic. Et forte dimisit hic locum quia apud ipsum est determinare de passionibus quantitatis’.

Sciendum quod linea est illud quod mensurat secundum longitudinem, et non est ipsa longitudo. Et superficies mensurat secundum longitudinem et latitudinem, sed nec est longitudo nec <R 7vb> latitudo. Et corpus mensurat secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem; sed nec est longitudo, nec latitudo, nec profunditas.

Sciendum etiam quod partes substantie copulantur ad terminum communem; sed hoc est per accidens et non per se, quia non copulantur ad terminum communem nisi ratione quantitatis; et ideo, etsi partes substantie copulentur ad terminum communem, ex hoc non sequitur quod substantia sit quantitas continua, quia partes substantie non per se copulantur ad terminum communem.

Dicto de membris prime divisionis dicendum est de divisione secunda, que est hec: quedam quantitas constat ex partibus habentibus positionem ad se invicem et quedam constat ex partibus non habentibus positionem ad se invicem. Linea, superficies, corpus et locus constant ex partibus <G 20a> habentibus positionem, sed tempus, numerus et oratio constant ex partibus non habentibus positionem ad se invicem.

Sciendum quod positio uno modo est predicamentum et alio modo est differentia quantitatis. Positio secundum quod est predicamentum importat ordinationem partium in toto in comparatione ad locum. Sed positio ut est differentia quantitatis importat ordinationem partium in loco absolute.

Sciendum quod ad hoc quod aliquid constet ex partibus habentibus positionem requiruntur tres condiciones, scilicet quod partes permaneant, et quod continuentur ad invicem, et quod habeant situm, ita quod contingat assignare ubi pars sita est in toto. Unde ad positionem que est differentia quantitatis requiritur continuatio, permanentia et situs.

Probatur ergo primo quod linea, superficies, corpus et locus constant ex partibus habentibus positionem ad invicem. Et hoc sic: omnis quantitas cuius quelibet pars est sita alicubi et ad quam cetere partes copulantur est quantitas habens positionem; sed linea, superficies et cetera sunt huiusmodi; ergo etc. Unde in istis quattuor, scilicet linea, superficies, corpus et locus, inveniuntur omnes condiciones requisite ad hoc quod aliquid <P 182va> habeat positionem in partibus, quia contingit

assignare ubi partes istorum sunt sitae, et etiam partes istorum habent permanentiam et etiam continuationem.

Quod autem numerus, tempus et oratio constent ex partibus non habentibus positionem patet. Primo de numero, quia partes numeri non habent situm. Non enim contingit assignare ubi una unitas sita est in numero. Unitates enim in numero non habent per se ordinem, etsi unus numerus habet ordinem ad aliud, ut binarius ad ternarium. Et ideo non est assignare in numero ubi aliqua unitas est sita. Et sic partes numeri non habent positionem. Similiter partes temporis non habent positionem, quia partes temporis non permanent. Similiter partes orationis non permanent, sed oratio que est prolata non potest **terminum sumi**, et ideo oratio non constat ex partibus habentibus positionem ad se invicem. Unde partes numeri non habent positionem, quia deficiunt a situ et a continuatione, etsi habeant permanentiam. Partes orationis non habent positionem, quia deficiunt a continuatione et permanentia. Partes temporis non habent positionem, quia non habent permanentiam.

Sic ergo circa istam secundam divisionem possunt extrahi septem conclusiones, ut patet ex dictis.

Sed de partibus numeri dubitatur. Videtur enim quod partes numeri habeant situm, quia res numerate habent situm; et partes numeri sunt in rebus numeratis; ergo partes numeri habent situm. Ad illud dicit Simplicius quod partes numeri habent situm et positionem propter numerata; et sic habent situm per accidens <**J 63ra**> et non per se.

Decima sexta conclusio est ista, quod omnia quecumque sunt quanta alia <**R 8ra**> a quantitatibus predictis sunt quanta per accidens. Ista conclusio probatur sic: illa que dicuntur quanta solum per comparationem ad quantitates predictas sunt quanta per accidens; sed omnia quanta alia a quantitatibus predictis dicuntur quanta solum per comparationem ad quantitates predictas; ergo etc. Maior patet, quia illud quod solum dicitur quantum in respectu ad aliud non est per se quantum, sed per illud aliud; et illud quod est per aliud quantum est per accidens quantum. Minor patet inductive, quoniam album non dicitur multum nisi quia superficies est multa in qua est albedo. Similiter actio non dicitur longa nisi quia tempus est longum in quo est actio. Similiter motus non dicitur longus nisi quia tempus mensurans <**G 20b**> motum est longum. Et sic de singulis quantis aliis a quantitatibus predictis.

Sciendum est hic, secundum Philosophum, V *Metaphysice*, quod duo sunt modi quantitatis per accidens. Nam aliqua dicuntur quanta ex hoc solo quod sunt accidentia alicuius quantitatis; et sic albedo et nigredo dicuntur quanta per accidens. Alio modo dicuntur aliqua quanta non ratione subiectorum in quibus sunt, sed ex eo quod dividuntur quantitative ad divisionem alicuius quantitatis. Et sic tempus et motus dicuntur quanta, propter hoc quod ea quorum sunt <**P 182vb**> passiones sunt quedam quanta, et ad divisionem illorum dividuntur tempus et motus. Tempus enim dividitur

ad divisionem motus, et motus dividitur ad divisionem magnitudinis; et ideo tempus et motus sunt quanta non primo, sed sunt quanta per posterius. Et melius est dicere quod sunt quanta per posterius quam quod sunt quanta per accidens.

### <**De proprietatibus quantitatis**>

Prima proprietas quantitatis est non habere contrarium. Et hec potest esse conclusio decima septima: nulli quantitati est aliquid contrarium. Et illud probatur inductive, quia nec bicubito est aliquid contrarium, nec tricubito, nec alicui talium.

Contra istam proprietatem ponit Philosophus duas instantias. Prima instantia est hec: magnum et parvum sunt contraria; et sunt quantitates; ergo quantitati est aliquid contrarium. Sed quia hoc argumentum concludit falsum, ideo primo probatur quod magnum et parvum non sunt quantitates, et secundo probatur quod magnum et parvum non sunt contraria; similiter nec multum et paucum. Et sic destruitur hec ratio, et quo ad maiorem et quo ad minorem. Quod magnum et parvum, multum et paucum non sunt quantitates probatur – et est conclusio decima octava: illa que sunt ad aliquid non sunt quantitates; magnum et parvum, multum et paucum sunt ad aliquid; ergo etc. Maior patet ex hoc quod quantitas est accidentis absolutum. Minor patet, quia mons dicitur parvus et milium magnum; sed mons non dicitur parvus nisi in comparatione ad maiorem montem; similiter milium non dicitur magnum nisi in comparatione ad aliud minus eo eiusdem generis. Et sic patet quod magnum et parvum dicuntur ad aliquid, quoniam si dicerentur absolute, cum mons sit maior milio, mons non diceretur parvus et milium magnum. Idem argumentum est de multo et paucō, quia dicimus multos homines esse in domo et paucos in civitate, quod non esset nisi multum et paucum dicerentur respective; quia si absolute dicerentur, cum plures homines sint in civitate quam in domo, non esset dicendum quod plures sunt in domo et pauci in civitate. Sic ergo patet quod magnum et parvum, multum et paucum non sunt quantitates.

Postea probatur quod magnum et parvum, <**R 8rb**> multum et paucum non sunt contraria. Et hec est conclusio decima nona. Et hec conclusio primo probatur ostensive, secundo ducendo ad impossibile. Probatio ostensiva est hec: illis que sunt ad aliquid non est aliquid contrarium; sed magnum et parvum, multum et paucum sunt ad aliquid; ergo etc. Ad impossibile probatur eadem conclusio dupliciter. Primo sic: si magnum et parvum essent contraria, cum magnum et parvum simul insint eidem, contraria simul inessent eidem. Quod est impossibile. Quod magnum et parvum simul insint eidem patet; nam demonstrato aliquo quanto verum est quod hoc est magnum in comparatione ad aliquid minus eo, et hoc est parvum in comparatione ad aliquid maius eo; <**P 183ra**> ergo idem simul [et semel] <**G 21a**> est magnum et parvum. Et intellige quod hec consequentia est bona:

hoc est magnum ad hoc, ergo est magnum, quia magnum est relativum, ut probatum est; et a relativo determinato per aliquem terminum ad ipsum absolute sumptum est consequentia bona – sicut patet. Nam sequitur: ille est pater Johannis; ergo est pater. Et eodem modo sequitur: hoc est magnum ad hoc; ergo est magnum. Quod consequens sit impossibile, scilicet contraria simul inesse eidem, patet, quia si contraria simul inessent eidem maxime videtur quod possent simul inesse substantie prime, quia prima substantia est maxime susceptibilis contrariorum. Sed contraria non possunt simul inesse substantie prime. Nam etsi idem homo sit susceptibilis albedinis et nigredinis, tamen nullus homo potest simul esse albus et niger. Similiter idem homo non potest esse simul sanus et eger. Secundo probatur eadem conclusio per rationem ducentem ad impossibile. Et hec est ratio: si magnum et parvum essent contraria, idem esset sibi ipsi contrarium, quia idem simul [et semel] est magnum et parvum. Si ergo magnum et parvum essent contraria, ex hoc quod aliquid est magnum ipsum esset contrarium cuilibet parvo, cum ergo ipsum sit parvum, esset contrarium sibi ipsi. Quod est impossibile.

Aliam instantiam ponit Philosophus contra illam proprietatem: locus contrariatur loco; et locus est quantitas; ergo quantitati est aliquid contrarium. Quod autem locus contrariatur loco patet, quia locus sursum et locus deorsum sunt <J 63rb> contraria, cuius probatio est quia eis competit diffinitio contrariorum, quia locus sursum et locus deorsum sunt posita sub eodem genere et maxime distant. Istam instantiam ponit Philosophus, sed eam non solvit.

Contra istam proprietatem arguitur: videtur quod quantitati sit aliquid contrarium, quia omnis motus est a contrario in contrarium; sed a quantitate ad quantitatem est motus; ergo quantitati est aliquid contrarium.

Preterea, videtur quod instantie posite contra proprietatem concludunt verum, quia multitudo et magnitudo sunt prime species quantitatis; ergo magnitudo est per se quantitas et multitudo simili-  
ter; sed eis contrariantur parvitas et paucitas; ergo quantitati est aliquid contrarium.

Ad primum dicendum quod quantitas potest considerari duplice: vel secundum se et absolute, vel secundum quod existit in materia naturali. Considerando quantitatem primo modo, sic quantitati nihil est contrarium, quia omnis contrarietas que est habitus est per naturam primarum qualitatum; sed quantitas secundum se considerata abstrahit a primis qualitatibus – quia quantitas est primum accidens et accidens maxime absolutum; sed primum abstrahit a posterioribus; et ideo quantitas secundum se considerata abstrahit <P 183rb> a primis qualitatibus. Et hec est causa quare mechanica est de qualitate, cum mathematica sit de immobilibus secundum considerationem.

Preterea, contrarietas est maxima distantia. Ubi ergo non est dare maximum et minimum, ibi non est contrarietas proprie; sed in quantitate secundum se considerata non est dare maximum et minimum, cum quantitas secundum se considerata sit divisibilis in infinitum; et ideo ad quantitatem

secundum se consideratam non est motus, nec quantitati secundum se considerate est aliquid contrarium. Quantitati tamen secundum esse quod habet in materia naturali est aliquid contrarium, cuius causa est: nam ubi contingit reperire maximum et minimum, ibi est contrarietas; sed in quantitate secundum esse quod habet in materia naturali est reperire maximum et minimum, quia in qualibet specie rerum naturalium est <**R 8va**> reperire quantitatem maximam ultra quam non contingit illam speciem reperiri, et similiter quantitatem minimam citra quam non reperitur talis species. Sic ergo quantitati secundum esse quod habet in materia naturali est aliquid contrarium. Et illo modo ad quantitatem est motus, quia ubi contingit reperire maximum et minimum et medium continuum per quod devenitur ab uno extremo ad aliud, ibi est motus. Sed sic est in quantitate. Ideo ad quantitatem est motus. Sic ergo patet ad argumentum, quoniam sicut quantitati est motus, sic est sibi aliquid contrarium. Philosophus tamen negavit contrarietatem esse in quantitate, considerando quantitatem absolute.

Sciendum tamen quod non ita proprie est contrarietas in quantitate sicut in qualitate, quia que sunt proprie contraria unum expellit aliud et corruptit aliud, ut patet de calido et frigido. Sed una quantitas non corruptit aliam, cum quantitas non sit de potentiis activis.

Sciendum est quod considerando quantitatem absolute, sic in quantitate continua contingit reperire quantitatem maximam, ut quantitatem celi. Sed in quantitate continua secundum se non contingit devenire ad quantitatem minimam, cum continuum sit divisibile in infinitum. Sed in quantitate discreta est e converso, quia ibi contingit reperire quantitatem minimam, ut numerum minimum, puta binarium; sed ibi non contingit reperire maximam, quia per divisionem continui crescit numerus in infinitum.

Sciendum quod aliter est motus ad quantitatem et aliter ad qualitatem quia motus est ad quantitatem secundum quod pars post partem inducitur; sed motus est ad qualitatem secundum quod qualitas intenditur et remittitur.

Ad aliud dicendum quod multitudo et magnitudo sunt species quantitatis, secundum quod magnitudo se extendit ad quamlibet quantitatem continuam, sive sit quantitas magna sive parva, et multitudo est species quantitatis secundum quod se extendit ad quamlibet quantitatem discretam, sive sit quantitas multa sive pauca. Et ideo magnitudo et multitudo secundum quod sunt <**P 183va**> species quantitatis non contrariantur paucitati et parvitati, sed de eis vere predicanter. Hec enim est vera ‘paucitas est multitudo’ et hec similiter ‘parvitas est magnitudo’. Multum tamen et paucum, magnum et parvum sunt relativa, nec important quantitatem solam, sed sunt aggregata ex quantitate et relatione.

Ad instantiam de loco non respondet Philosophus, sed illam solvere pertinet ad metaphysicum vel ad naturale. Potest tamen solvi sic: quod locus sursum et locus deorsum non sunt contra-

ria, proprie loquendo de contrarietate, quia non sunt nata fieri circa idem subiectum, sed locus sursum habet esse in igne et locus deorsum in terra. Et cum dicitur quod locus sursum et locus deorsum maxime distant dicendum quod locus sursum et locus deorsum maxime distant distantia locali, sed non maxime distant distantia que est secundum formas; nunc ad contrarietatem non requiritur <**J 63va**> distantia localis, quia etsi albedo non multum distet localiter a nigredine, tamen albedo et nigredo sunt contraria.

Alia proprietas est quod quantitas non suscipit magis et minus. Et hec est conclusio vigesima. Et probatur inductive, quia nec quantitas continua suscipit magis et minus nec etiam quantitas discreta. Exempla patent in littera. Sed hec proprietas non est proprie popria quantitati, quia inest aliis.

Ultima proprietas est quod quantitas dicitur equalis et inequalis. <**G 22a**> Et hec proprietas est propria quantitati. Et hec est conclusio vigesima prima, quod sola quantitas dicitur equalis et inequalis. Et hec conclusio probatur quoad utramque exponentem. Quantitas enim dicitur equalis et inequalis tam continua quam discreta. Linea enim dicitur equalis linee, et <**R 8vb**> superficies dicitur equalis superficie, et unus numerus dicitur equalis alii numero. Et sic patet affirmativa expicens. Et negativa expicens, que est universalis negativa, probatur inductive, quoniam album non dicitur equale alteri albo, sed magis simile; et sic de aliis a quantitate.

Intelligendum est hic quod sicut alia a quantitate non dicuntur quanta nisi per accidens, sic alia a quantitate non dicuntur equalia vel inequalia nisi per accidens, quoniam si unum album sit equale alteri albo, hoc solum est quia superficies in qua est una albedo est equalis superficie in qua est alia albedo. Et si una actio dicitur equalis alteri actioni hoc est quia tempus in quo fit una actio est equale tempori in quo fit alia actio. Et ideo proprium est quantitati per se dici equale et inequale, quia alia non dicuntur equalia vel inequalia nisi per accidens.

Sciendum quod quantitas dicitur equalis et inequalis et solum secundum quantitatem dicuntur alia equalia vel inequalia. Et hoc quia quantitas non solum mensurat alia, sed mensurando alia mensuratur et ipsa quantitas. Et secundum quod quantitas mensurat, sic secundum quantitatem dicitur aliquid equale vel inequale, sed secundum quod quantitas mensuratur, sic quantitas dicitur equalis vel inequalis.

## **<De relatione>**

### **<De natura relations>**

#### **Ad aliquid vero talia dicuntur.**

Hoc est tertium capitulum huius partis, in quo determinatur <**P 183vb**> de relatione et de relativis. Unde in hoc capitulo determinatur de tertio predicamento, quod est predicamentum respectivum inherens substantie solum in habitudine ad aliud.

Sed primo oportet videre que sunt per se in hoc predicamento et quid sit nomen generis generalissimi. Pro quo est sciendum quod relationes sunt per se in hoc predicamento et non relativa, ut paternitas et filiatio sunt per se in hoc predicamento sicut species huius predicamenti, sed pater et filius non sunt species huius predicamenti nec sunt in hoc predicamento nisi per reductionem. Et huius ratio est quia termini concreti accidentales significant aggregatum per accidens, ut aggregatum ex subiecto et accidente, et ideo illud quod significatur per terminum concretum accidentalem non est per se in genere. Et ideo sicut album non est per se in genere qualitatis sicut species illius generis, sic nec pater est per se in genere relationis. Si enim concederetur quod pater et filius essent per se species de genere relationis, ista esset necessaria ‘nullus homo est pater’, sicut et ista ‘nullus homo est albedo’, quoniam omnis propositio est necessaria in qua species unius predicamenti removetur a specie alterius predicamenti, quia ex quo negativa est immediata in qua generalissimum removetur a generalissimo, ut patet ex *I Posteriorum*, sequitur quod negativa sit necessaria in qua species unius predicamenti removetur a specie alterius predicamenti, quia ad remotionem generis a genere sequitur remotio speciei a specie. Ex hoc patet quod genus generalissimum huius predicamenti debet significari per nomen abstractum et non per nomen concretum. Et sic melius est dicere quod ‘relatio’ est nomen generis generalissimi quam quod ‘relativum’ sit nomen generis generalissimi.

Verumtamen Boethius et Albertus dicunt quod genus generalissimum huius predicamenti convenientissime significatur per hoc nomen ‘ad aliquid’. Et illud sustinendo intellige quod, cum sic dicitur ‘ad aliquid’, hec prepositio <**G 22b**> ‘ad’ potest denotare habitudinem termini ad terminum vel potest denotare habitudinem vie, vel habitudinis, ad terminum. Sicut enim terminus est ad terminum, sic via est ad terminum. Dicimus enim viam esse ad civitatem. Secundum quod ly ‘ad’ denotat habitudinem termini ad terminum, sic ‘ad aliquid’ non est nomen generis, quia sic dicitur de relativis <**R 9ra**> et non de relationibus. Sed secundum quod ly ‘ad’ denotat habitudinem relationis ad terminum, sic ‘ad aliquid’ est nomen generis generalissimi, quia sic dicitur de relationibus et de

his que per se sunt in hoc predicamento, quoniam paternitas est ad aliquid sicut habitudo ad terminum, sed non sicut terminus ad terminum.

Cum ergo relatio, seu ad aliquid, sit genus generalissimum, et omne genus generalissimum habet sub se genera et species, illa coordinatio <**P 184ra**> generum et specierum secundum sub et supra constituit <**J 63vb**> predicamentum relationis, ita quod in hoc predicamento possumus ponere unam arborem sicut in aliis predicamentis. Ita quod relatio sit genus generalissimum et eius differentie laterales erunt relatio identitatis et relatio diversitatis. Omnis enim relatio accipitur penes identitatem vel penes diversitatem. Si sit relatio diversitatis, sic accipitur una species relationis, scilicet relatio disquiparantie, et est relatio disquiparantie genus subalternum et ponitur immediate sub relatione. Relatio disquiparantie dividitur, quia quedam est numeri ad numerum et quedam activi ad passivum. Et sunt ille differentie laterales relationis disquiparantie. Relatio activi ad passivum constituit unam speciem, ut relationem superpositionis. Agens enim quasi superponitur patienti et patiens supponitur agenti. Et hoc est quod vult auctor *Sex principiorum*, qui dicit quod actio est secundum quam in illud quod subicitur agere dicimur. Ponatur ergo relatio superpositionis immediate sub relatione disquiparantie. Ulterius relatio superpositionis dividitur quia quedam est secundum relationem generantis ad generatum et quedam est relatio que attenditur secundum habitudinem effientis ad effectum universaliter. Et sint ille differentie laterales relationis superpositionis. Relatio que est generantis ad generatum constituit paternitatem. Et ponatur paternitas immediate sub relatione superpositionis, et est paternitas species specialissima sub qua non sunt nisi individua, ut hec paternitas et illa. Eodem modo potest fieri arbor si immediate sub relatione ponatur relatio identitatis et postea relatio identitatis dividatur per differentias.

Adhuc est una dubitatio: non videtur quod relatio sit genus unum, sed in hoc predicamento <**G 23a**> sunt duo generalissima, quia genus generalissimum huius predicamenti refertur ad aliud, et illud ad quod genus generalissimum refertur est eque primum cum genere generalissimo, quia relativa sunt simul natura. Ergo qua ratione illud quod ponitur genus generalissimum est genus generalissimum eadem ratione illud ad quod refertur est genus generalissimum. Et sic in hoc predicamento sunt duo genera generalissima. Dicendum quod genus generalissimum non refertur, sed est principium referendi. Contra adhuc stat argumentum, quia si genus generalissimum sit principium referendi, ergo est principium referendi aliquorum extremorum; sint ergo illa .a. et .b.; tunc arguo sic: alia est habitudo ipsius .a. ad .b. et alia ipsius .b. ad .a.; cum ergo .a. et .b. sint eque primo relationes que sunt ipsius .a. ad .b. et e converso, erunt eque primo; ergo qua ratione <**R 9rb**> relatio que est ipsius .a. ad .b. est genus generalissimum eadem ratione relatio que est ipsius .b. ad .a. debet dici genus generalissimum. Et per consequens <**P 184rb**> sunt duo genera generalissima.

Ad istud dicendum quod posito quod relatio que est genus generalissimum sit principium referendi, esset principium referendi illorum extermorum, relativum et relativum; nam relativum dicitur relative ad relativum. Dico tunc quod genus generalissimum est principium referendi idem ad se ipsum, ut relativi ad relativum. Ideo non est alia relatio ipsius .a. ad .b. quam e converso, quia .a. et .b. idem sunt. Similiter posito quod extrema relata per genus generalissimum essent diversa, adhuc posset esse eadem relatio secundum genus inter illa. Nunc per genus generalissimum solum importatur relatio secundum genus.

Sed tu dicas quod relatio realis non est inter idem et seipsum, ergo genus generalissimum non est principium referendi idem ad se ipsum.

Similiter, contra aliud dices: inter quecumque relativa est aliqua una habitudo secundum numerum, ergo inter extrema relata per genus generalissimum est aliqua una habitudo secundum numerum; ergo si per genus generalissimum importetur relatio, illa erit una relatio secundum numerum et non solum una secundum genus.

Ad primum istorum dicendum quod relatio realis una secundum numerum non est principium referendi idem ad se ipsum; sed relatio realis una secundum speciem vel secundum genus solum bene potest esse principium referendi idem ad se ipsum. Sicut patet: similitudo que est una species relationis est principium referendi idem ad se ipsum, ut simile ad simile.

Ad aliud dicendum quod non inter omnia extrema relationis est relatio una secundum numerum, quia hoc commune, pater, refertur ad hoc commune, filius, et tamen non per aliquam relationem unam secundum numerum, quia pater non refertur ad filium per hanc paternitatem nec per illam, sed per paternitatem in communi. Dico tunc quod extrema communia referuntur ad invicem per relationem communem, non per relationem unam numero. Sed extrema singularia referuntur per relationem unam numero.

Sciendum quod accidentia imperfecta inherent substantie mediantibus accidentibus magis perfectis. Qualitas enim inheret substantie mediante quantitate, ut albedo mediante superficie. Et quia inter omnia accidentia relatio habet esse debilissimum, ideo relatio inheret substantie medianibus aliis accidentibus. Accidens mediante quo relatio inest substantie est fundamentum relationis.

Sciendum ergo quod relatio fundatur in duobus predicamentis, scilicet in quantitate et qualitate. Et secundum aliquos relatio fundatur super actionem et passionem, ut paternitas super actionem patris. Melius tamen est dicere quod paternitas fundatur super potentiam activam patris; et illa potentia activa est in secunda specie qualitatis. Et ideo principaliter in duobus predicamentis, scilicet in quantitate et qualitate, fundatur relatio.

Sed de relatione in comparatione ad suum fundamentum sunt diverse opiniones. Dicunt enim aliqui quod relatio non differt realiter a suo fundamento; sed dicunt quod similitudo <**P 184va**>

fundata in albedine est idem realiter cum albedine. Ut <G 23b> illud idem quod in se consideratum <J 64ra> dicitur albedo, illud idem comparatum alteri dicitur similitudo, ita quod albedo in Sorte comparata albedini in Platone dicitur similitudo. Et secundum istud dicunt quod relatio non habet proprias species nec proprias differentias alias a speciebus et differentiis sui fundamenti; et istud dicunt esse de intentione Philosophi, V *Metaphysice*, ubi ipse assignans species et differentias relativorum assignat eas secundum differentias absolutorum, dicens quod aliqua dicuntur modo numeri et aliqua modo masure, alia modo agentis et patientis, quod non esset nisi differentie et species relativorum essent eadem cum differentiis et speciebus absolutorum.

Sed ista opinio non valet. Quod patet multis modis. Primo quia si relatio et suum fundamentum essent realiter idem <R 9va> ubicumque perfectissime inveniretur unum ibidem perfectissime inveniretur reliquum. Sed hoc est falsum, quia in albedine imperfectissima salvatur similitudo perfectissima.

Preterea, diverse relationes fundantur in diversis predicamentis, ut similitudo in qualitate et equalitas in quantitate; si ergo similitudo et equalitas essent eadem cum suis fundamentis similitudo et equalitas different genere. Quod non est verum.

Preterea, fundamentum relationis manet destructa relatione, ergo relatio et suum fundamentum non sunt eadem res. Consequentia patet per Commentatorem, I *Physicorum*, ubi probat quod materia differt a sua potentia, quia potentia corrumpitur in adventu forme et materia manet; ergo materia est alia a sua potentia. Sic arguo in proposito: corrupta albedine in Platone corrumpitur similitudo in Sorte; et tamen albedo in Sorte manet; ergo albedo differt a similitudine.

Preterea, per eandem albedinem per quam Sortes est similis Platoni albo per eandem est Sortes dissimilis nigro. Idem ergo est fundamentum similitudinis et dissimilitudinis. Si ergo fundamentum et relatio essent idem, similitudo et dissimilitudo essent idem.

Preterea, sicut fundamentum non potest acquiri sine motu ita nec relatio posset acquiri sine motu, si relatio et suum fundamentum essent idem.

Ideo dicendum quod relatio non est eadem res cum suo fundamento; sed relatio est quidam respectus fundatus in re absoluta, ita quod relationes non sunt nisi respectus in absolutis. Intelligendum est tamen quod relationes innotescunt nobis per sua fundamenta, quia illa que habent mutum excellens esse et illa que multum deficiunt ab esse subterfugiunt cognitionem nostram. Sicut patet: substantie spirituales, ut intelligentie et prima causa, quia habent excellens esse sunt nobis ignote nec innotescunt nobis nisi per suos effectus. Similiter materia prima, quia multum deficit <P 184vb> ab esse, non per se cognoscitur a nobis, nec cognoscitur a nobis nisi secundum analogiam ad formam. Quia ergo relatio inter cetera predicamenta habet esse debilissimum, ideo est multum nobis ignota. Ideo Philosophus, cum diffusius tractasset de relativis, dicit in fine capituli quod dubi-

tare de singulis non est inutile, significans per hoc: valde difficile est de relatione aliquid cognoscere. Et ideo species et differentias relativorum tamquam minus notas enumerat secundum differentias absolutorum tamquam magis notas. Et ideo non intendit Philosophus quod species et differentie relationis sunt eadem cum speciebus et differentiis aliorum predicamentorum; sed quod per differentias et species aliorum predicamentorum cognoscere debemus differentias et species relativorum. Unde relatio specificatur per suum fundamentum non sicut per aliquid intrinsecum, sed sicut per extrinsecum; sicut accidentia specificantur per sua subiecta, que se habent sicut eorum differentie. Et tamen constat quod subiectum non est intrinsecum accidenti nec de essentia accidentis. Unde Simplicius vocat fundamentum relationis virtutem <G 24a> advenientem, id est: differentiam advenientem, seu extrinsecus advenientem. Et sic patet quod relatio differt a suo fundamento. Quamvis enim relatio non habeat esse nisi a suo fundamento, tamen differt a suo fundamento, sicut quamvis accidens non habeat esse nisi a substantia, tamen differt a substantia.

Sciendum quod Philosophus, V *Metaphysice*, ponit tres modos relativorum. Nam quedam dicuntur relativa secundum numerum et quantitatem, <R 9vb> ut duplum et dimidium, multiplex, submultiplex, etc. Et talia sunt relativa primi modi. Et alia dicuntur ad aliquid secundum potentiam activam et passivam, ut calefactivum et calefactibile. Et talia sunt relativa secundi modi. Et aliquid dicitur ad aliquid sicut mensurabile ad mensuram, intelligendo per mensuram non mensuram quantitatis sed mensuram esse et entitatis. Isto modo scibile est mensura scientie et sensibile mensura sensus. Et talia que sic referuntur sicut mensurabile ad mensuram sunt relativa tertii modi. Alia tamen referuntur modo unius, et talia que sunt relativa secundum unitatem sunt relativa primi modi, quia dicuntur ad aliquid secundum aliquid pertinens ad numerum. Unde similitudo, equalitas et identitas sunt relativa secundum unitatem, quia identitas est unum in substantia, et equalitas unum in quantitate, et similitudo unum in qualitate. <J 64rb> Propter hoc enim dicuntur aliqua equalia, quia habent unam quantitatem, non unam secundum numerum sed secundum speciem. Et propter hoc dicuntur aliqua similia, quia habent unam qualitatem non unam secundum numerum, sed unam secundum speciem. Et propter hoc equalitas **dicit[ur]** unum in quantitate et similitudo unum in qualitate.

Intelligendum quod non omnia relativa pertinent ad hoc genus, sed solum illa que determinant sibi <P 185ra> aliquod genus rerum. Unde non quecumque relatio est in hoc predicamento, sed solum ille que determinate fundantur in re unius predicamenti; et propter hoc, quia genus et species, prius et posterius, oppositio et sic de multis aliis, inveniuntur in diversis predicamentis, ideo non sunt relativa huius predicamenti nec pertinent ad hoc predicamentum; nec relationes inter illa sunt relationes huius predicamenti.

Sciendum quod relatio est duplex: quedam est relatio realis et quedam est relatio secundum rationem. Ad relationem realem requiruntur tres condiciones secundum aliquos. Una est quod extrema sint realia, non dependentia ab intellectu; alia condicio est quod extrema sint realiter diversa; et tertia condicio est quod inter illa extrema sit habitudo mutua. Propter primum oppositio inter ens et non ens non est relatio realis. Similiter nec relatio inter speciem et genus, quia extrema non sunt realia. Propter secundum identitas non est relatio realis, quia extrema identitatis non differunt realiter, unde idem non refertur sibi ipsi relatione reali. Propter tertium relatio inter scientiam et scibile non est realis, quia etsi scientia referatur ad scibile, tamen scibile non refertur ad scientiam. Avicenna tamen vult quod omnis relatio sit realis que non dependet ab intellectu. De hoc tamen non est contendendum, quia non est contentio nisi de nomine, ut quid significetur per istum terminum ‘relatio realis’ de identitate.

Dicunt aliqui quod identitas est relatio rationis et quod extrema identitatis differunt secundum rationem; et sic quod Sortes ratione differt a se ipso, sed non realiter. Illud tamen est falsum, quia Sortes est idem sibi ipsi secundum rem et secundum rationem, et omnem rationem quam habet Sortes eandem habet Sortes. Et ideo Sortes nec re nec ratione differt a se ipso. Sortes tamen ut est terminus a quo identitatis habet aliam rationem quam habet ut est terminus ad quem identitatis, quia ratio termini a quo est alia quam ratio termini ad quem. Et concedo quod Sortes habet diversas rationes; sed ex hoc non sequitur quod Sortes sit aliis a se ipso secundum rationem, quia Sortes manens idem secundum rem et secundum rationem <G 24b> habet diversas rationes.

Intelligendum est quod ad relationem requiruntur quinque, scilicet subiectum, fundamentum, terminus a quo, terminus ad quem et ipsa relatio. Subiectum relationis est substantia, <R 10ra> ut posito quod Sortes sit similis Platoni, Sortes est subiectum similitudinis, fundamentum relationis est accidens mediante quo relatio inheret subiecto, et sic albedo est fundamentum similitudinis; terminus a quo est illud quod refertur et terminus ad quem est illud ad quod refertur, et habitudo inter terminum a quo et terminum ad quem est <P 185rb> ipsa relatio. Verbi gratia, posito quod Sortes et Plato sint albi, tunc inter Sortem et Platonem est similitudo. Subiectum similitudinis que est Sortis ad Platonem est Sortes; fundamentum similitudinis est albedo; ipsa relatio est similitudo; terminus a quo est Sortes similis Platoni; et terminus ad quem est Plato similis Sorti. Unde sciendum quod terminus a quo relationis non est substantia sola, quia non est idem subiectum et terminus a quo, sed terminus a quo relationis est quoddam compositum ex subiecto et ipsa relatione. Similiter et terminus ad quem est quoddam compositum ex subiecto et relatione.

Istis visis videnda sunt dicta in littera. Et sciendum quod primo describuntur relativa secundum opinionem aliorum et secundo secundum opinionem Philosophi. Descriptio Platonicorum fuit ista: talia dicuntur ad aliquid quecumque hoc ipsum quod sunt dicuntur aliorum vel quomodolibet

aliter ad aliud; hoc est: talia dicuntur relativa que secundum illud quod sunt dicuntur aliorum, hoc est: dicuntur ad alia sub habitudine genitivi vel quomodolibet aliter ad aliud, hoc est: talia dicuntur relativa que dicuntur ad aliud sub alia habitudine quam sub habitudine genitivi, ut sub habitudine dativi vel ablativi, et sic de aliis. Pater enim refertur ad filium sub habitudine genitivi. Dicitur enim pater filii pater. Et simile refertur ad simile sub habitudine dativi, quia simile dicitur simili simile. Et disciplinatum refertur ad disciplinam sub habitudine ablativi; dicitur enim disciplinatum disciplina disciplinatum.

Sciendum quod illa diffinitio competit relativis secundum esse et relativis secundum dici. Relativa secundum esse sunt talia que secundum illud quod sunt sunt ad aliquid et etiam dicuntur ad aliquid. Unde illud quod refertur ad aliud et simul cum hoc importat rem de genere relationis, illud est <**J 64va**> relativum secundum esse. Huiusmodi sunt pater et filius, duplum et dimidium. Sed relativa secundum dici sunt talia que dicuntur ad aliud, sed tamen secundum illud quod sunt sunt aliorum generum, cuiusmodi sunt scientia et sensus. Nam scientia et sensus, secundum illud quod sunt, sunt de genere qualitatis, et tamen dicuntur ad alia, videlicet ad scibile et ad sensibile. Unde secundum esse sunt qualitates, sed secundum dici sunt relativa.

## <De proprietatibus relations>

Prima proprietas relationis est quod in relatione est contrarietas, ut virtus contrariatur vitio et scientia ignorantie. Et hec est prima conclusio huius capituli, quod relativa sunt contraria, vel ea que sunt ad aliquid sunt contraria. Et hec conclusio probatur sic: virtus est ad aliquid et vitium est ad aliquid; et virtus et vitium sunt contraria; ergo ea que sunt ad aliquid sunt contraria. Sed hec proprietas non inest omnibus relativis, quia duplici nihil est contrarium, nec triplici, nec alicui talium.

Sed hic dubitatur quoniam si relativa sunt contraria et relativa simul insunt eidem, quia aliquid simul [**et semel**] est pater et filius, <**P 185va**> ergo contraria simul inessent eidem.

Preterea, relative opposita differunt a contrarie oppositis, ergo illa que sunt relative opposita non sunt contrarie opposita.

Preterea, non videtur quod virtus et <**R 10rb**> vitium sint contraria, quia contraria maxime distant, sed virtus et vitium non maxime distant, <**G 25a**> quia virtus est medium inter duo vitia. Sed medium non maxime distat ab extremis, quoniam extrema magis differunt quam medium et extreum.

Ad primum illorum dicendum quod differentia est inter relative opposita et relativa opposita. Nam relative opposita sunt talia que sibi invicem referuntur, ut pater et filius; sed relativa opposita sunt talia que non referuntur inter se, sed referuntur ad alia. Unde pater et duplum sunt relativa op-

posita, sed non sunt relative opposita. Dico ergo quod relativis opposita sunt contraria; sed relative opposita non sunt contraria. Hoc est dictum: aliquod relativum contrariatur alicui, sed non illi ad quod refertur. Virtus enim contrariatur vitio, sed virtus non refertur ad vitium. Unde relativum contrariatur alicui quod non est suum correlatum. Et hoc concludunt duo prima argumenta.

Ad aliud dicendum quod virtus et vitium maxime distant in genere morum, sed non maxime distant in genere nature. Unde bonum et malum sunt genera morum, et sunt duo extrema sub quorum uno continetur vitium et sub alio virtus, sed non maxime distant in genere nature, quia maiorem convenientiam in natura habent virtus et vitium quam duo vitia extrema.

Alia proprietas est quod relativis inest suscipere magis et minus, quia simile magis et minus dicitur. Nam aliquid est simile alicui et aliud magis simile illi. Similiter inequale suscipit magis et minus. Et hec est secunda conclusio huius capituli, quod relativis suscipiunt magis et minus. Et probatur sic: simile suscipit magis et minus, et similiter inequale; et ista sunt relativis; ergo relativis suscipiunt magis et minus. Sed hec proprietas non competit omnibus relativis, quia equale non suscipit magis et minus, similiter nec duplum nec dimidium, nec aliquid tale.

Sed dubium est quare quedam relativis suscipiunt magis et minus et quedam non. Dicendum est quod, sicut dictum est prius, relatio fundatur in rebus aliorum generum et suam realitatem habet a suo fundamento. Nunc autem aliqua relatio fundatur in re que suscipit magis et minus, et alia fundatur in re que nec suscipit magis nec minus. Qualitas enim suscipit magis et minus, sed quantitas determinata nec suscipit magis nec minus. Et ideo relatio fundata super qualitatem, ut similitudo fundata super albedinem, suscipit magis et minus; sed quia quantitas determinata non suscipit magis et minus, ideo relatio fundata super quantitatem determinatam non suscipit magis nec minus. Propter quod nec duplum nec dimidium suscipiunt magis et minus. Per hoc patet quare equale non suscipit magis et minus et tamen inequale suscipit magis et minus, quia equale fundatur super quantitatem determinatam, <P 185va> que nec suscipit magis nec minus, sed inequale fundatur super quantitatem indeterminatam, que suscipit magis et minus. Et ideo inequale suscipit magis et minus et equale non.

Sciendum quod due proprietates predicte insunt relativis ratione fundamentorum. Ex hoc enim quod fundamento relationis est aliquid contrarium, similiter ex hoc quod fundamentum relationis suscipit magis et minus, ex hoc relationi est aliquid contrarium et etiam relatio suscipit magis et minus. Sed due sunt alie proprietates que insunt relativis ratione nature proprie. Unde cum relativis insit relatio, et relativis dicantur ad sua correlativa ut voluit prehabita diffinitio, manifestum est quod omnia relativis dicuntur ad convertentiam. Et hec est tertia proprietas relativorum, dici ad convertentiam. Et hec est tertia conclusio huius capituli, quod relativis dicuntur ad convertentiam. Ista conclusio probatur inductive. Nam duplum et dimidium dicuntur ad convertentiam. Similiter pater et filius,

quia pater dicitur filii pater et filius patris filius. Similiter, <**R 10va**> duplum dicitur dimidii duplex, et dimidium dicitur dupli dimidium. <**G 25b**> Hec proprietas competit omnibus relativis, si relativa assignantur convenienter. <**J 64vb**> Sed si non fiat assignatio conveniens, tunc non dicuntur ad convertentiam; ut, si ala assignetur avi, tunc inconveniens est assignatio, quoniam ala et avis non dicuntur ad convertentiam, quia non omnis ala est avis ala, quia multe sunt ale que non sunt ale avium. Similiter, si caput assignetur ad animal, et dicatur caput animalis caput, tunc non fit conveniens assignatio, quia caput et animal non dicuntur ad convertentiam, quia non omne animal est capitum animal, cum multa sint animalia capita non habentia. Verumtamen, si fiat conveniens assignatio, relativa semper dicuntur ad convertentiam; et si alteri relativo nomen deficiat, oportet ei nomen fingere derivando ab altero relativo cui nomen imponitur. Sed cum remus relative dicatur, et non ad navem, cum multe sint naves remos non habentes, et caput relative dicatur, non tamen ad animal, ad hoc quod fiat conveniens assignatio oportet fingere nomina, ut a ‘remo’ fingere ‘remitum’ et a ‘capite’ ‘capitatum’. Et est unum documentum notabile quod docet Philosophus quando debemus scire utrum fiat conveniens assignatio vel non, et est tale: si alicui relativo assignetur correlatum, circumscribantur ab illo relativo omnia que sibi accident, et illis circumscriptis videndum est an adhuc illa que assignantur relativa referantur ad invicem aut non. Si adhuc referantur ad invicem, tunc fuit assignatio conveniens. Si non referantur ad invicem, assignatio non fuit conveniens. Verbi gratia, si velimus videre an homo et servus referantur ad invicem, circumscribamus ab homine illa que accident homini et relinquamus solam naturam hominis. Homini accedit quod sit dominus, quod sit bipes, <**P 186ra**> et sic de aliis. Sed si circumscribatur ab homine ipsum esse dominum, ita homo non dicitur ad servum, quia homo non dicitur ad servum nisi sit dominus. Et ideo illa assignatio fuit inconveniens qua homo et servus assignabantur esse relativa. Sed si velimus videre an dominus et servus sint relativa, circumscribamus a domino illa que sibi accident, ut ipsum esse hominem vel sapientem, et sic de aliis, hoc solo relicto quod ipse sit dominus; adhuc dominus dicitur servi dominus. Et ideo ista assignatio est conveniens qua assignatur quod dominus et servus sunt relativa.

Sed forte contra istam proprietatem dicetur quod sensus et sensibile sunt relativa et tamen non dicuntur ad convertentiam, quia etsi sensus dicatur sensibilis sensus, tamen sensibile non dicitur sensus sensibile, et eadem est obiectio de scientia et scibili.

Ad istud potest dici quod sensus et sensibile non sunt relativa, sed tantum alterum illorum est relativum, quoniam sensus refertur ad sensibile, sed sensibile non refertur ad sensum; et ideo sensus et sensibile non sunt relativa, quia sensus est relativum et sensibile non. Et sic de scientia et scibili. Vel aliter potest dici quod omnia relativa, si convenienter assignentur, dicuntur ad convertentiam. Unde melius est assignare sensum ad sensatum quam ad sensibile, non quo ad essentiale

relationem inter illa, sed quoad convertentiam quam vult illa proprietas. Similiter scientia quoad convertentiam convenientius assignatur ad scitum vel ad scientem quam ad scibile.

Sciendum quod etsi relativa dicantur ad convertentiam, tamen hoc est alia relatione et alia. Per aliam enim relationem refertur pater ad filium et per aliam refertur <R 10vb> filius ad patrem, quia relatio que est patris ad filium est paternitas, et relatio que est filii ad patrem est filiatio. Similiter est in illis que referuntur eodem nomine, quoniam simile refertur ad suum simile, <G 26a> et alia est relatio qua simile refertur ad suum simile et alia est relatio e converso. Posito enim quod Sortes sit similis Platoni, per aliam similitudinem refertur Sortes ad Platonem et per aliam refertur Plato ad Sortem, quoniam similitudo qua Sortes refertur ad Platonem est subiective in Sorte, sed similitudo qua Plato refertur ad Sortem est subiective in Platone.

Quarta proprietas est quod relativa sunt simul natura. Et hec est quarta conclusio huius capitulo. Et probatur sic: pater et filius sunt relativa; et sunt simul natura; ergo relativa sunt simul natura. Similiter, duplum et dimidium sunt relativa; et sunt simul natura; ergo relativa sunt simul natura. Quod autem pater et filius, duplum et dimidium sunt simul natura patet, quia si pater est, filius est, et si filius est, pater est. Similiter, si pater non est, nec <P 186rb> filius est, et e converso. Ergo pater et filius sunt simul natura. Similiter duplum et dimidium.

Sciendum quod illa sunt simul natura que posita se ponunt et perempta se perimunt, si neutrum eorum sit causa alterius. Si autem alterum illorum sit causa alterius, etsi posita se ponant et perempta se perimant, tamen non sunt simul natura, quoniam causa et causatum non sunt simul natura. Nunc relativa posita se ponunt et perempta se perimunt, et neutrum est causa alterius; ideo relativa sunt simul natura. Ista proprietas non convenit omnibus relativis, quia scientia refertur ad scibile, et tamen scientia et scibile non sunt simul natura, quoniam scibile est prius quam scientia. Similiter est de sensu et sensibili, quoniam sensibile est prius quam sensus. Primum probatur dupliciter, scilicet quod scibile est prius quam scientia. Primo sic: in pluribus accipimus scientias rebus preexistentibus; sed in paucis vel in nullis est scientia simul cum scibili. Unde primo res existunt et postea de illis rebus existentibus acquirimus scientias; ergo res de quibus est scientia sunt priores quam scientia. Et sic scibile est prius quam scientia. Secundo probatur idem sic: <J 65ra> illud est prius a quo non convertitur subsistendi consequentia; sed, si scientia est, scibile est, et non oportet quod, si scibile sit, quod propter hoc scientia sit; ergo scibile est prius quam scientia. Probo quod sequitur: ‘scientia est, ergo scibile est’, quia ex opposito sequitur oppositum, quoniam si nullum scibile est nullum animal est, et si nullum animal est nulla scientia est, cum animal sit subiectum scientie. Et sic patet quod sequitur ‘scientia est, ergo scibile est’. Sed non sequitur e converso ‘scibile est, ergo scientia est’, quia quadratura circuli potest esse etsi eius scientia nondum sit. Similiter, oppositum consequentis stat cum antecedente. Ista enim stant simul ‘scibile est’ et ‘nullum animal est’; modo

sequitur: ‘nullum animal est, ergo nulla scientia est’. Ergo ista stant simul ‘scibile est’ et ‘nulla scientia est’. Similiter sensibile est prius quam sensus, quia si sensus est, sensibile est, et non e converso; ergo sensibile est prius quam sensus. Quia sequitur: ‘sensus est, ergo sensibile est’. Patet, quia si sensus est, animal est, et si animal est, sensibile est; ergo a primo. Sed non sequitur e converso: sensibile est, ergo sensus est. Nam aliquid antecedit ad oppositum consequentis quod non antecedit ad oppositum antecedentis. Illa enim ‘nullum animal est’ antecedit ad istam ‘ nullus sensus est’, sed non antecedit ad istam ‘nullum sensibile est’, quia, etsi nullum animal esset, adhuc possent esse qualitates sensibles, ut dulce et amarum, calidum et frigidum. Et ita oppositum consequentis stat cum antecedente. Secundo probatur idem sic: quando aliqua duo sunt simul natura quicquid precedit unum precdit reliquum; sed sensus et sensatum, puta animal quod est sensatum, sunt simul natura; et sensibile est prius animali; ergo sensibile est prius quam sensus. Quod autem sensibile sit prius animali patet, quoniam <**P 186va**> corpora simplicia <**R 11ra**> ex quibus componitur mixtum sunt priora quam mixtum; sed corpora sim-plicia, ut elementa, sunt sensibilia, et sensatum est mixtum; cum ergo simplex sit prius mixto, sensibile erit prius sensato; et per consequens sensibile erit prius quam sensus.

Dubitatur de uno dicto: non videtur quod destructo scibili propter hoc destruatur scientia, quia <**G 26b**> nulla rosa existente potest haberi scientia de rosa. Similiter, nullo triangulo existente potest haberi scientia de triangulo. Ergo destructo scibili non propter hoc destruatur scientia.

Dicendum est quod Philosophus vult declarare quod scientia in communi refertur ad scibile in communi, sed scibile in communi non refertur ad scientiam in communi; quoniam destructo scibili in communi destruitur scientia, quia si scibile in communi destruatur nullum scibile manet, et per consequens nulla scientia manet. Et sic scibile in communi non est simul natura cum scientia in communi. Tamen hoc scibili corrupto non propter hoc destruitur scientia de hoc scibili; nec hoc vult Philosophus.

Contra proprietatem in se arguitur: non videtur quod omnia relativa sunt simul natura; quia prius natura et posterius natura sunt relativa, et tamen non sunt simul natura, quia si essent simul natura non esset unum illorum prius natura et aliud posterius natura. Similiter causa et causatum sunt relativa, et tamen non sunt simul natura, quia causa naturaliter est prior causato. Unde arguitur sic: causa in quantum causa est prior causato, et in quantum est causa refertur ad causatum, ergo in quantum refertur ad causatum est prior causato; ergo de ratione relativorum non est esse simul natura. Similiter, pater et filius sunt relativa, et tamen pater est prior natura quam filius, ex quo pater genuit filium.

Aliqui dicunt quod ista proprietas, relativa sunt simul natura, non est intelligenda quantum ad actualem existentiam, ita quod quando unum relativorum actu existit quod tunc reliquum actu e-

xistat, sed debet hec proprietas intelligi quantum ad dependentiam, ita quod relativa sunt simul natura quantum ad dependentiam, ut quando unum relativorum dependet ab alio, tunc e converso illud dependet ab ipso. Et ideo, quia prius natura et posterius natura sunt relativa, ideo quando de uno dicitur quod est prius natura de reliquo dicitur quod est posterius natura.

Sed illud non valet, quia Philosophus dicit quod hec proprietas non inest omnibus relativis, quia scientia et scibile non sunt simul natura; similiter nec sensus et sensibile, quia sensibile potest esse etsi nullus sensus sit. Et ideo videtur quod per simul natura intelligat simultaneitatem quantum ad existentiam. Et hoc vult Augustinus in suis *Predicamentis*, qui dicit quod illa sunt simul natura que sunt simul quantum ad ortum et quantum ad occasum. Unde que simul incipiunt esse et simul desinunt esse, si neutrum illorum sit causa alterius, illa sunt simul natura.

Sed propter instantias intelligendum est quod illa proprietas inest omnibus relativis que sunt de <**P186vb**> predicamento relationis. Multa enim referuntur ad invicem que non sunt relativa huius predicamenti – ut dictum est prius –, ut prius et posterius, genus et species, et talia que non fundantur determinate in re alicuius unius predicamenti. Unde prius natura et posterius natura important ordinem in natura, et ideo non sunt simul natura. Similiter, prius tempore et posterius tempore important ordinem <**R 11rb**> in tempore, et ideo prius tempore et posterius tempore non sunt simul. Et sic patet ad primam instantiam, quoniam prius et posterius non sunt relativa huius predicamenti.

Ad alias instantias dicitur quod iste sunt vere ‘causa et causatum sunt simul natura’, ‘pater et filius sunt simul natura’, secundum quod subiecta in istis supponunt simpliciter, quoniam quando res significata per istum terminum ‘causa’ est, tunc res <**J 65rb**> significata per istum terminum ‘effectus’ est. Similiter, quando res significata per istum terminum ‘pater’ est, tunc res significata per istum terminum ‘filius’ est. Etsi enim ille qui est pater non sit simul natura cum suo filio, tamen res significata per ‘patrem’ est simul natura cum re significata per ‘filium’. Unde sicut ista est vera ‘pater et filius sunt relativa’, sic est ista vera ‘pater et filius sunt simul natura’; tunc illa ‘pater et filius sunt relativa’ non est vera nisi secundum quod isti termini ‘pater’ et ‘filius’ habent suppositionem simplicem, quoniam hec est vera ‘nullus pater et filius <**G 27a**> sunt relativa’. Similiter hec est vera ‘nullus pater est relativum’, quia si conceditur quod aliquis pater est relativum, tunc arguo sic: omnis pater est homo - sit ita; et aliquis pater est relativum, per te; ergo aliquod relativum est homo; et ulterius: ergo aliquod relativum est substantia. Sed hoc est falsum; ergo et illud ex quo sequitur, scilicet quod aliquis pater est relativum.

Sciendum quod pater et filius non referuntur nisi sumendo ‘patrem’ communiter pro masculo et femella et ‘filium’ similiter; quoniam si aliquis habeat filiam est pater, posito quod non habeat filium, et habens matrem est filius, posito quod non habeat patrem.

Sciendum etiam quod hec est vera ‘ille pater refertur’ sumendo subiectum pro significato suo. Res enim significata per istum terminum ‘iste pater’ est respectiva et refertur, etsi ille homo qui est pater non referatur. Sed iste pater non refertur ad istum filium nec ad illum, quia iste pater potest manere destructo isto filio et illo, sed iste pater refertur ad filium huius patris, hoc est ad rem significatam per istum terminum ‘filius huius patris’; et ille filius refertur ad rem significatam per istum terminum ‘pater huius filii’.

Quoniam autem diffinitio eorum que sunt ad aliquid a Platone tradita non omnino complectitur eorum essentiam, cum ponat ea que sunt ad aliquid in solo dici consistere, ideo Philosophus ex Platonis diffinitione dubitationem inducit et veram diffinitionem relativorum subiungit.

Et hec est dubitatio: an aliqua <**P 187ra**> substantia sit ad aliquid. Cum enim substantia sit duplex, prima et secunda, et utraque vel est ut totum vel ut pars, de prima substantia que est totum et etiam de prima substantia que est pars est certum quod neutra est ad aliquid; et sic nulla prima substantia est ad aliquid. Non enim aliquis homo dicitur alicuius aliquis homo, nec aliqua manus dicitur alicuius aliqua manus, et sic de aliis. Et ita nec prima substantia que est totum nec prima substantia que est pars est ad aliquid. Similiter secunda substantia que est totum non est ad aliquid, ut patet: homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos. Sed de substantia secunda que est pars videtur esse dubium an illa sit ad aliquid. Caput enim dicitur alicuius caput, ut capitati caput, et manus alicuius manus. Et ideo, si diffinitio relativorum prius data sit vera diffinitio <**R 11va**> eorum que sunt ad aliquid, aut impossibile aut nimis difficile est prohibere quin aliqua substantia sit ad aliquid. Et ideo diffinitio prius tradita non est vera diffinitio relativorum; sed vera diffinitio relativorum quam ponit Philosophus est ista: ad aliquid sunt illa quorumcumque esse est se habere quodammodo ad aliud. Et hec diffinitio differt a diffinitione priori, quia hec diffinitio non competit nisi relativis secundum esse, scilicet talibus que secundum illud quod sunt sunt ad aliquid, sed prior diffinitio competit relativis secundum esse et etiam relativis secundum dici. Et quia sicut res se habet ad esse sic se habet ad cognosci, ideo ex hac diffinitione consequitur quedam proprietas que inest omnibus relativis, et est quod qui unum relativorum complete et per diffinitionem cognoscit mox sciturus est reliquum. Unde qui perfecte cognoscit unum relativorum perfecte cognoscit reliquum.

Intelligendum quod quedam intelliguntur ab intellectu sic quod perficiunt intellectum sustinendo et terminando passionem intellectus circa ipsum cognitum cum precisione cuiuslibet alterius. Et sic lapis movet intellectum et perficit ipsum, ita quod nullius cognitionem preter cognitionem sui ipsius relinquit in intellectu; et talia sunt absoluta. Alia sunt que sic perficiunt <**G 27b**> intellectum quod uno apprehenso eo ipso necesse est aliud apprehendi; et talia sunt relativa. Non tamen quemque faciunt ad cognitionem alicuius sunt relativa, quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum substantiam, et tamen illa accidentia non sunt relativa. Sed in relativis ex natura rei

cognito uno relativorum absque omni discursu cognoscitur et reliquum. Sed substantia non cognoscitur per sua accidentia absque discursu; et quia ad hoc quod aliqua sint vere relativa oportet quod cognito uno cognoscatur et reliquum, et aliquis potest cognoscere manum vel pedem etsi non cognoscat illud cuius sunt manus et pes. Ideo manus et pes, et sic de ceteris substantiis que sunt partes, non sunt ad aliquid. Ex hoc patet quare scientia et scibile non sunt vere relativa, quia aliquis potest cognoscere scibile etsi non cognoscat scientiam que est de scibili. Potest enim <**P 187rb**> aliquis cognoscere scibile etsi non sciat aliquam habere scientiam de scibili. Et sic potest cognoscere scibile non cognoscendo scientiam <**J 65va**> de scibili. Propter quod scientia et scibile non sunt relativa secundum esse. Sed quia relativa debilem entitatem habent et varia fundamenta et non statim se offerunt intellectui, ideo Philosophus imponens finem tractatui de relativis dicit quod tradere aliquid confidenter de huiusmodi rebus est valde difficile nisi sepe et cum magna diligentia fuerint pertractata. Et ideo dicit quod dubitare de singulis non est inutile. Nam bene dubitare per rationes probabiles ad utramque partem multum valet ad inquisitionem veritatis.

Sciendum quod relatio habet entitatem minus perfectam et minus firmam quam alia accidentia, quia eius realitas dependet a duobus, scilicet a subiecto et a termino, et quocumque eorum deficiente deficit et relatio. Sed alia accidentia non dependent nisi a subiecto et ideo relatio minorem entitatem habet quam alia accidentia, propter quod est nobis minus nota.

## **<De qualitate et quali>**

Hoc est quartum capitulum huius partis, in quo determinatur de qualitate et de quali. Et secundum hoc sunt due partes principales huius capituli, in quarum prima determinatur de qualitate et in secunda de quali.

Sciendum quod quantitas diversimode denominat in continuis et in discretis, quoniam in continuis dicimus quod quantitas <**R 11vb**> est quanta et in discretis quod quantitas est quota, et querimus quotus est numerus. Similiter relativum non proprie denominat, sed magis refertur; et ideo quia in quantitate et relatione non est proprie denominatio vel non est denominatio secundum unum modum, et qualitas secundum omnem speciem suam denominat eodem modo, ideo in capitulo de qualitate magis determinatur de denominativis quam in capitulo de quantitate vel de ad aliquid. Similiter, inter predicamenta qualitas maxime se habet per modum forme, et forme est proprie denominare; ideo in capitulo de qualitate determinatur de denominativis.

Qualitas sic describitur: qualitas est secundum quam quales dicimur. Et hec descriptio est per notiora, quia quale est notius quam qualitas, sicut album est notius quam albedo, et grammaticus notior quam grammatica. Similiter propria operatio qualitatis est facere aliquid quale; et ideo qualitas describitur per suam propriam operationem; et operationes rerum sunt nobis notiores quam essentie rerum. Ideo hec descriptio datur per notiora. Sed, cum qualitas sit genus <**G28a**> generalissimum, oportet quod habeat sub se genera et species. Et Philosophus assignat in hoc capitulo quatuor species qualitatis; et sunt iste: habitus et dispositio, naturalis potentia vel impotentia, passio et passibilis qualitas, forma et circa aliquid constans figura. In prima specie sunt habitus et dispositio; in secunda specie naturalis potentia et impotentia; in tertia <**P 187va**> specie sunt passiones et passibiles qualitates; et in quarta specie forma et circa aliquid constans figura.

Circa sufficientiam istarum specierum sciendum quod omnis qualitas aut qualificat substantiam in quantum substantia est mobilis, aut qualificat substantiam in quantum est abstracta a motu. Si primo modo, sic est tertia species qualitatis, quia illa que sunt in tertia specie qualitatis qualificant substantiam secundum quod est mobilis, quia motus non est ad aliam qualitatem nisi ad illam que est in tertia specie. Si qualificat substantiam in hoc quod substantia est abstracta a motu, aut ergo qualificat substantiam in se et absolute aut in comparatione ad aliud. Si in se et absolute, sic est prima species qualitatis. Nam illa que sunt in prima specie perficiunt substantiam absolute quemadmodum forma perficit materiam. Si perficiat substantiam in quantum abstracta est a motu, et hoc in comparatione ad aliquid extrinsecum, hoc potest esse dupliciter, quia aut disponit substantiam in habitudine ad proprias operationes, et sic est secunda species. Illa enim que sunt in secunda specie, ut naturalis potentia et impotentia, perficiunt substantiam in habitudine ad operationes, quia

potentia ad operationem ordinatur. Aut disponit substantiam in hoc quod est subiecta quantitati, et sic est quarta species; ut magis videbitur postea. Per hoc patet quod ille species sunt bene ordinate, quia dispositio absoluta prior est quam comparata. Nam inherentia forme ad materiam primam est absoluta. Et ideo, cum illa que ponuntur in prima specie disponunt substantiam absolute non in ordine ad extrinsecum, patet quod convenienter ordinantur primo. Quia vero forma existente in materia iam potens est naturaliter ad aliqua alia agenda, et impotens ad oppositum. Ideo potentia et impotentia naturalis convenienter ponuntur in secunda specie. Substantia autem disposita ad proprias operationes ulterius per passiones et passibiles qualitates apta efficitur ad aliquos motus. Ideo sequitur tertia species in qua sunt illa que proprie terminant motum. Quarto et ultimo ponitur species que dicitur forma et circa aliud constans figura. Et ponitur ultimo, quia non absolute dicitur qualitas, sed qualitas in quantitate, sicut postea videbitur. Verumtamen quia quodlibet genus generalissimum dividitur primo per duas differentias constituentes duas primas species, <**J 65vb**> possumus dividere **R 12ra** qualitatem per duas differentias, quia omnis qualitas vel est qualitas ad quam est motus vel est qualitas ad quam non est motus. Ita quod ille sunt differentie laterales qualitatis ad quam est motus, ad quam non est motus. Qualitas ad quam est motus est qualitas sensibilis, et ponatur sub qualitate immediate directe in linea, qualitas sensibilis; sed cum quinque sint sensus, et genus non dividitur primo per quinque differentias, dividamus qualitatem sensibilem per duas differentias primo et dicamus quod omnis qualitas sensibilis aut immutat sensum realiter aut spiritualiter, ita quod ille sunt differentie laterales qualitatis sensibilis: <**P 187vb**> immutans sensum realiter, immutans sensum spiritualiter. Qualitas immutans sensum spiritualiter est qualitas que sentitur a visu, et illa qualitas est color. Sub qualitate ergo sensibili ponitur color immediate. Color dividitur in albedinem et nigredinem et colorem medium. Sed accipiamus duas differentias dividentes colorem primo. Omnis enim color aut est disaggregatus visus aut non disaggregatus visus. Color disaggregatus visus est albedo, et ponatur sub colore albedo immediate, et est albedo species specialissima sub qua non sunt nisi individua, ut hec albedo et illa. Et sic potest fieri una arbor sicut in aliis predicamentis. Similiter possumus facere arborem descendendo sub qualitate ad quam <**G 28b**> non est motus. Nam omnis talis qualitas aut disponit substantiam absolute aut in comparatione ad aliud, ita quod iste sint differentie laterales: disponens substantiam absolute, disponens substantiam in ordine ad aliud. Si disponat substantiam absolute, sic est prima species qualitatis, et si accipitur aliud commune ad omnia que sunt in prima specie qualitatis illud debet poni immediate sub qualitate ad quam non est motus. Significet igitur hoc nomen ‘habitus’ commune ad omnia que sunt in prima specie qualitatis, et ponatur habitus sub qualitate ad quam non est motus. Habitus dividitur, quia quidam est habitus anime et quidam est habitus corporis. Sint ergo iste differentie laterales: habitus anime et habitus corporis. Et ponatur habitus anime immediate sub habitu. Habitus anime dividitur, quia quidam est

habitus intellectualis et quidam moralis. Et sint ille differentie laterales: habitus anime intellectualis et habitus anime moralis. Et sub habitu anime ponatur habitus intellectualis. Habitus intellectualis dividitur, quia quidam est practicus et quidam speculativus. <**R12rb**> Et ponatur habitus speculativus sub habitu intellectuali. Habitus speculativus dividitur, quia quidam est necessariorum et quidam contingentium. Habitus necessariorum dividitur, quia quidam est conclusionis et quidam principiorum. Habitus principiorum est sapientia et habitus conclusionis scientia. Scientia dividitur in grammaticam, dialecticam et sic de aliis. Et sic patet qualiter potest fieri descensus descendendo sub alio latere.

Aliter posset dici quod qualitas primo dividitur in qualitatem anime et qualitatem corporis, ita quod qualitas spiritualis et qualitas corporalis sint prime differentie qualitatis. Et qualitas corporalis potest dividi, quia aut disponit substantiam in quantum est mobilis aut in quantum abstracta est a motu. Si in quantum mobilis, sic est tertia species qualitatis; et potest fieri descensus sub qualitate sensibili que est tertia species qualitatis, sicut prius.

His visis descendendum est specialiter ad illas species quas ponit Philosophus in littera. In prima specie ponit habitum et dispositionem. Unde sciendum quod omnes qualitates quas per exercitium aut per artem aut per doctrinam <**P 188ra**> acquirimus per quas nosmet ipsos aliqualiter dispositos facimus, sunt in prima specie qualitatis. Et differt habitus a dispositione in duobus, ut dicit Philosophus. Primo in modo essendi, secundo in modo predicandi. In modo essendi, quia habitus est permanentior; habitus enim est de difficulti mobilis, sed dispositio est de facili mobilis. Exemplum de habitu: scientia et virtus sunt habitus. Qui enim complete habitus habent non deserunt nisi fiat magna permutatio. Exemplum de dispositione est in calore acquisito per motum aut per ignem, qui cessante motu aut amoto igne cito corruptur. Secundo differt in modo predicandi, quia dispositio est in plus quam habitus, quia omnis habitus est dispositio, sed non omnis dispositio est habitus.

Sed tu dices: si omnis habitus est dispositio, cum dispositio sit illud quod est de facili mobile, omnis habitus esset de facili mobilis.

Dicendum est quod dispositio uno modo est commune ad qualitatem de difficulti mobilem et ad qualitatem de facili mobilem; et sic dispositio est nomen commune ad omnia que sunt in prima specie qualitatis. Et isto modo sumendo dispositionem possunt dari predicte differentie inter habitum et dispositionem. Prima differentia sic: omnis habitus est de difficulti mobilis, non omnis dispositio est de difficulti mobilis, sed aliqua est de facili mobilis, ergo habitus et dispositio differunt. Secunda differentia datur sic: omnis habitus est dispositio, et non omnis dispositio est habitus, ergo differunt. Alio modo accipitur dispositio stricte, secundum quod est communis solummodo ad qualitatem de facili mobilem. Dispositio primo modo dicta et habitus differunt sicut superius et infe-

rius, sed dispositio secundo modo dicta et habitus <G 29a> differunt sicut magis perfectum et minus perfectum in eadem specie. Unde dicit Boethius quod habitus et dispositio nec differunt specie nec genere, sed solo numero. Unde Boethius et Simplicius dicunt quod habitus et dispositio differunt sicut puer et vir - nam habitus est firma dispositio, sed dispositio est habitus infirmus -, vel sicut color magis albus et color minus albus; sed hic quidem permanet, ille vero statim periturus est.

Sciendum quod illa que sunt in prima specie qualitatis disponunt potentiam in ordine ad naturam secundum se. Unde sicut forma substantialis ex hoc quod dat esse et determinat naturam <R 12va> dicitur qualitas substantialis, sic accidens ex hoc quod dat esse accidentale et determinat suiectum dicitur qualitas accidentalis. Quantitas enim non determinat, sed de se est indeterminata, secundum quod <J 66ra> modo loquimur de terminatione et indeterminatione. Secundum ergo quod in natura inveniuntur diverse potentie ad diversas terminaciones secundum esse accidentale, secundum hoc accipimus species qualitatis. Nunc autem aliqua substantia ex perfectione sue nature habet quod sit perfectibilis et in potentia ad diversas perfectiones, que convenient nature, sicut ex perfectione nature humana est quod in corpore, quod est altera pars compositi, sit debita commisuratio humorum, que est sanitas. Anima autem ex perfectione sue nature habet quod mediantibus suis potentiis <P 188rb> ornetur perfectionibus superadditis, ut quod mediantibus intellectu et voluntate ornetur scientia et virtutibus. Et omnia illa accidentia superaddita nature perficiunt ipsam naturam secundum se et determinant potentiam nature in ordine ad naturam, non solum in ordine ad extrinsecum. Et talia accidentia sunt in prima specie qualitatis. Sed accidentia que sunt in secunda specie qualitatis determinant naturam in ordine ad operationes. Natura enim per potentias activas et passivas determinatur ad agere vel pati. Unde breviter, illa que sunt in prima specie qualitatis determinant naturam in ordine ad naturam, sed que sunt in aliis speciebus determinant naturam in ordine ad aliquid extrinsecum. Per iam dicta patet quod illud idem quod est in prima specie qualitatis potest esse in secunda specie vel in tertia. Nam sicut dici Philosophus, calor et frigus sunt in prima specie, et tamen certum est quod illa pertinent ad tertiam speciem. Sed hoc est sub diversa consideratione, quia ut ordinant et determinant naturam ad operationem, sic sunt in tertia specie, sed ut convenient vel disconveniunt nature, sic sunt in prima specie.

Sciendum quod licet scientia et virtutes et huiusmodi disponant in ordine ad operationem, tamen principalius disponunt ipsam potentiam in ordine ad naturam, et ideo per se dicuntur habitus et dispositiones, quia denominatio habet fieri a principaliori; quia tamen disponunt in ordine ad operationem ab aliquibus ponuntur esse in secunda specie. Sed ut sic non debent dici habitus et dispositiones, sed magis potentie. Ipse autem potentie anime, licet sint perfectiones nature, et ex hoc videntur pertinere ad primam speciem, quia tamen per se et primo includunt ordinem ad operationem, ideo per se sunt in secunda specie, secundum quid et per accidens in prima specie. Ex his possumus

concludere quod due sunt condiciones habitus: una que convenit habitui ut distinguitur contra dispositionem, scilicet diurnitas. Habitum enim per hoc distinguitur a dispositione, quia habitus est de difficulti mobilis. Alia condicio competit habitui prout est prima species qualitatis, scilicet quod sit dispositio nature vel in ordine ad naturam, scilicet conveniens vel disconveniens nature.

Circa istam speciem dubitatur: non videtur quod illa que ponuntur in prima specie sunt qualitates, quia qualitas est genus absolutum, sed genus absolutum non habet species que sunt ad aliquid; sed omnia que hic ponuntur in prima specie sunt ad aliquid; ergo non sunt qualitates. Quod sint ad aliquid patet, quia Philosophus, VII *Physicorum*, probat quod ad illa que sunt in prima specie qualitatis <**R 12vb**> non est motus, quia talia sunt ad aliquid.

Hic primo oportet videre qualiter ea que sunt in prima specie qualitatis sunt ad aliquid. Pro quo sciendum quod illud quod est absolutum in quocumque invenitur debet dici tale. Propter hoc enim albedo est qualitas absoluta, quia illud quod in uno corpore est albedo in quocumque corpore inveniretur semper esset albedo. Illud enim quod est albedo in uno corpore <**G 29b**> non est nigredo in alio, sed non est sic de quibusdam que sunt in prima specie. Nam alia commisuratio humorum esset sanitas in cervo que esset infirmitas in leone; <**P 188va**> et alia dispositio membrorum esset pulchritudo in uno que si esset in alio esset turpitudine. Similiter, aliquid quod in uno esset virtus et laudabile, in alio esset vitium et vituperabile. Nam esse furiendum in cane est laudabile sed in homine vituperabile. Et sic pulchritudo et sanitas, et sic de multis aliis que hic ponuntur in prima specie, sunt respectiva. Et ideo concludit Philosophus quod ad talia non est motus. Illud enim quod terminat motum debet esse absolutum, ita quod non sit unum in uno et aliud in alio, quia tale non potest aliquam speciem dare motui.

Intelligendum tamen quod in omni respectivo est considerare duo, scilicet respectum et aliiquid absolutum in quo fundatur respectus, et illud quod est aggregatum ex absoluto et respectu est aggregatum per accidens, nec est per se in aliquo genere. Dico ergo quod talia respectiva seu aggregata ex absoluto et respectu non sunt in prima specie qualitatis nisi quantum ad materiale in eis; sed illud absolutum in quo fundatur respectus est in prima specie qualitatis sicut species illius generis. Et ideo argumentum concludit verum, quod illa que sunt in prima specie qualitatis debent esse absoluta. Et sic sanitas et pulchritudo et virtus, et sic de aliis, secundum quod important respectum, non sunt per se in prima specie qualitatis, sed solum illud absolutum in quo fundatur respectus; et ad illud absolutum non est motus tamquam ad terminum intrinsecum, sed tamquam ad terminum extrinsecum. Tale autem absolutum de prima specie quantum ad fieri habet modum relationis, et sicut relatio advenit subiecto nulla mutatione facta in subiecto, sic scientia acquiritur anime absque aliqua alteratione anime. Et sic quantum ad fieri habent illa que sunt in prima specie modum relationis. Et hec est sententia Alberti, VII *Physicorum*.

Adhuc dubitatur, quoniam calor et frigus sunt in tertia specie, ergo non sunt in prima specie. Dicendum quod idem non est simpliciter et absolute in diversis speciebus non subalternatim positis. Sed dico quod calor et frigus simpliciter loquendo sunt in tertia specie qualitatis, quia determinant naturam in ordine ad operationem principaliter, et sunt in prima specie solum secundum quid. Vel aliter: quod calor et frigus sunt in prima specie et in tertia equivoce.

In secunda specie qualitatis sunt naturalis potentia et impotentia, ut naturalis potentia currendi vel pugillandi vel aliquid huiusmodi faciendi, et impotentia respectu eiusdem. A potentia dicuntur aliqui cursores vel pugillatores. Nec dicuntur aliqui <J 66rb> cursores vel pugillatores, secundum hanc secundam speciem, quia sunt dispositi per artem vel per exercitium, sed quia habent naturalem potentiam faciendi aliquid vel non patiendi ab aliquibus, vel eorum impotentiam. Sic enim aliqui dicuntur salubres secundum hanc secundam <R 13ra> speciem quia ex naturali complexione sunt <P 188vb> apti ad sanitatem, et sic egroti dicuntur insalubres et insani quia non sunt apti ad sanitatem ex naturali complexione.

Dubitatur quare Philosophus vocat naturalem potentiam et impotentiam genus qualitatis, et habitum et dispositionem vocat speciem qualitatis. Ad hoc dicit Boethius quod quattuor species qualitatis quas Philosophus assignat non sunt species specialissime sed species subalterne; et species subalterna est species et genus. Et ideo ad assignandum quod species quas assignat non sunt species specialissime aliquam illarum appellat speciem et aliquam genus. Alii dicunt quod habitus et dispositio non differunt specie sed differunt secundum magis perfectum et minus perfectum in eadem specie. Et ideo dicit quod habitus et dispositio sunt una species, sed naturalis potentia et impotentia differunt specie; et ideo naturalem potentiam et impotentiam dicit esse genus qualitatis.

Sciendum quod ‘potentia’ in proposito accipitur indifferenter pro potentia activa et pro potentia passiva, quoniam secundum potentiam activam dicitur aliquis cursor vel pugillator, sed secundum potentiam passivam dicitur aliquid molle, quia molle est quod faciliter cedit tangenti.

Hec species differt <G 30a> a prima quia prima species acquiritur per doctrinam vel per exercitium, hec autem inest a natura. Et hanc differentiam intendebat Aristoteles cum dixit quod aliqui dicuntur cursores vel pugillatores secundum hanc secundam speciem qualitatis, non quia sunt dispositi per artem vel per exercitium, sed quia habent naturalem potentiam faciendi aliquid vel non patiendi ab aliquibus.

In tertia specie qualitatis sunt passiones et passibiles qualitates. Passibiles qualitates sunt ut caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. Et dicuntur passibiles qualitates non quia ab alia passione precedente innascuntur, sed eo quod ipsa nata sunt inferre passionem sensui. Dulcedo enim in melle dicitur passibilis qualitas, non quia inferat aliquam passionem melli, sed quia infert passionem sensui gustus.

Sciendum quod omnes qualitates sensibiles diu permanentes sunt passibiles qualitates, sed qualitates sensibiles que non diu permanent vocantur passiones.

Intelligendum tamen quod qualitates prime, scilicet caliditas, frigiditas, humiditas et siccitas, dicuntur qualitates sensibiles quia inferunt passionem sensibilem; sed qualitates secunde, ut albedo et nigredo, que causantur a qualitatibus primis, dicuntur qualitates sensibiles eo quod innascuntur a qualitatibus primis de difficii mobilibus; sed qualitates sensibiles que innascuntur a qualitatibus seu a passionibus non diu permanentibus dicuntur passiones, sicut rubedo causata ex verecundia et pallor causatus ex timore. Et sic est de qualitatibus anime. Quod qualitates diu permanentes seu qualitates causate a qualitatibus diu permanentibus dicuntur passibiles qualitates, ut dementia vel ira, que causantur <**P 189ra**> a naturali complexione; sed qualitates causate a passionibus cito transeuntibus dicuntur passiones.

Sciendum etiam quod qualitates sensibiles simpliciter denominant subiectum, ut si aliquis ex naturali complexione habeat rubedinem dicimus quod rubedo est qualitas eius et quod est homo rubeus; sed si aliquis habeat rubedinem propter verecundiam non dicitur simpliciter rubeus, sed dicitur habere quandam passionem ex verecundia.

Sciendum quod sensibilia visus, que sunt passibiles qualitates, etsi aliquo modo inferant passionem sensui, <**R 13rb**> non tamen propter hoc dicuntur passibiles qualitates, et hoc quia visus spiritualius immutatur quam aliquis alias sensus; et ideo sensibilia visus non inferunt visui passionem realem que est per abiectionem contrarii, sed solum inferunt passionem spiritualem, et ideo sensibilia visus non dicuntur passibiles qualitates ex hoc quod inferunt passionem sensui, sed ex hoc quod causantur ex qualitatibus prioribus.

Sciendum quod differentia est inter passionem que est in tertia specie qualitatis et inter passionem que est predicamentum, quia passio que est predicamentum consistit in fieri et in motu, sed passio que est in tertia specie acquiritur per motum; et ideo passio que est predicamentum precedit passionem que est in tertia specie, sicut via precedit terminum vie.

In quarta specie sunt forma et circa aliquid constans figura. Forma enim et figura sunt qualitates, quia secundum illas aliqua dicuntur qualia, ut per circulationem dicuntur aliqua circularia, et per quadrangulationem dicuntur aliqua quadrangularia, et sic de aliis.

Sed de aspero et levi, raro et denso est dubium an sint qualitates. Et Philosophus dicit quod illa sunt extranea a divisione qualitatis, sed magis significant positiones partium, quod patet per eorum descriptiones, quoniam asperum dicitur cuius una pars supereminet alteri, et leve cuius partes equaliter protenduntur, rarum <**G 30b**> autem cuius partes remote ponuntur ab invicem, et spissum cuius partes propinque iacent. Sed intellige quod ista nomina ‘asperum’ et ‘leve’ etc. ex significacione principali positionem important, sed ex consequenti dicuntur qualitates.

Circa partes sic <J 66va> positas intelligendum est secundum Boethium hic quod ‘forma’ in proposito accipitur pro forma secundum quam aliquis dicitur formosus et non pro forma secundum quam aliquis dicitur formatus. Unde forma in proposito accipitur in ista significatione in qua species dicitur forma, quomodo dicitur quod species Priami digna est imperio, id est: forma Priami digna est imperio. Unde ‘forma’ in proposito accipitur pro compositione corporali, et secundum talem compositionem vel talem dicitur aliquis formosus vel deformis. Et quia solum animata dicuntur formosa vel deformia, ideo forma in proposito accipitur secundum quod reperitur <P 189rb> in animatis. Solum forma enim secundum quod accipitur in proposito habet fieri circa animata, et figura circa inanimata. Et ideo dixit Philosophus quod et forma et figura sunt in hac specie nec differunt forma et figura specificē, sed illud idem quod nomine ‘forme’ importatur in animatis nomine ‘figura’ importatur in inanimatis.

Alii ponunt aliam differentiam inter formam et figuram, dicentes formam et figuram reperiiri in animatis et etiam in inanimatis, et <quod> significant idem ‘forma’ et ‘figura’; sed dicitur ‘forma’ ut dat esse, et ‘figura’ ut est terminus quantitatis. Unde forma dicitur ratione perfectionis et figura ratione terminationis. Unde forma secundum quod accipitur in proposito dat esse specificum artificiato, quia forme artificiorum sunt accidentia. Unde illa que sunt in quarta specie qualitatis sunt termini quantitatis, et ideo dicuntur qualitates in quantitate.

Dicto de qualitate dicendum est de denominativo qualitatis. Sunt ergo qualia quecumque denominative dicuntur a qualitatibus vel quomodolibet aliter ab illis. Non enim omnia qualia dicuntur denominative a qualitatibus. Non enim omne quod dicitur quale dicitur denominative ab aliqua qualitate. Nam si aliquibus qualitatibus non sunt nomina imposta ab illis qualitatibus dicuntur aliqua qualia, sed non proprie denominative, sed magis denominantur a causa vel a genere illius. Sicut studiosus, qui dicitur a virtute qualis, non dicitur denominative a virtute, sed magis a causa virtutis, ut a studio.

Intelligendum quod etsi qualitas <R 13va> prius describatur per quale, et quale nunc per qualitatem, ex hoc non accidit aliquod malum, quia ex quo qualitas est genus generalissimum non potest qualitas describi per priora simpliciter, sed per priora quoad nos. Et ideo descriptio qualitatis per quale est descriptio per effectum et per posteriora. Sed descriptio qualis per qualitatem est descriptio per priora simpliciter.

Tres sunt proprietates qualitatis. Prima est quod qualitati est aliquid contrarium, ut albedo contrariatur nigredini, et iustitia iniusticie, et virtus vitio. Sed hec proprietas inest aliis a qualitate, quia relationi inest contrarietas. Similiter hec proprietas non inest omni qualitati, quia ille qualitates

que fundantur in quantitate non habent contrarium, ut forma et figura; et hoc quia quantitatibus non est aliquid contrarium. Secunda proprietas est quod qualitas suscipit magis et minus. Aliquid enim dicitur albus alio et aliquis grammaticior alio. Hec proprietas, scilicet suscipere magis et minus, inest illis qualitatibus quibus inest habere contrarium, et aliis non inest. Et ideo qualitas quarte speciei non suscipit magis et minus, <**G 31a**> sicut non habent contrarium. Tertia proprietas est quod qualitas est secundum quam aliquis dicitur similis vel dissimilis, ut habens albedinem secundum albedinem dicitur similis alteri albo et dissimilis nigro.

### **<De sex residuis predicamentis>**

De sex residuis predicamentis se expedit Philosophus breviter, <**P 189va**> dicens duas proprietates inesse actioni et passioni, scilicet habere contrarium et suscipere magis et minus, ut frigefacere et calefacere sunt contraria, similiter frigefieri et calefieri sunt contraria; et similiter calefare et frigefacere suscipiunt magis et minus, et etiam frigefieri et calefieri suscipiunt etc. De aliis quattuor predicamentis dicit esse dictum in capitulo de ad aliquid, quoniam illa sunt ad aliquid. Sed que sit ordinatio illorum predicamentorum et species et genera subalterna in libro *De sex principiis plenius* apparebit.